



**ENARRA-  
TIO PSALMI SEXAGE-**

**SIMI OCTAVI, EXVRGAT**

**Deus & dissipentur ini-  
mici eius &c.**

**INTERPRETE**

**D. GEORGIO**

**MAIORE.**



**LIPSIAE**

**EXCVDEBAT GEORGIUS  
HANTZSCH.**

**A N N O**

---

**M. D. LI.**



ENARRATIO  
PSALMI-SEXAGESIMI  
OCTAVI EXORDIUM  
Deus & dissipatus in  
mici eius &c.

INTERPRETE  
D. GEORGIO  
MAIORE



LIBRARIA  
EXORDIUM GEORGII  
HANTZSCH  
HALLAE  
M. D. C. C. C.



REVERENDISSIMO  
Domino, D. Martino Episcopo Eco-  
clesiæ Caminensis in Pomerania,  
Nobilitate, sapientia, & pieta-  
te præstanti, Georgius  
Maior Theologiæ  
Doctor  
S. D.



SITATVM est no-  
bis triumphale carmen,  
videlicet Psalmum Exur-  
gat Deus, quotannis hoc  
ipso tempore, & in tem-  
plo, & in schola repete-  
re, & ut dulcissima de-  
scriptio familiarius nota  
fiat adolescentiæ, & ut nos ipsos in hac lectione de-  
summis beneficijs filij Dei, ad inuocationem & gra-  
tiarum actionem accendamus, & petamus, ut hic ui-  
ctor, qui contriuit Draconem, et nos ex carcere edu-  
xit, adsit nobis, regnet in pectoribus nostris, accendat  
lucem suam in mentibus nostris, & nos confirmet, ac  
faciat nos organa salutaria, seruet etiam Ecclesiã ad  
posteritatẽ, sicut in hoc ipso Psalmo proposita est cõ-  
solatio et promissio, quæ adfirmat, hũc uictorẽ seruatu

A 2

VIUM



rum esse Ecclesiam in hac uita, quia inquit se missurum esse exercitus Euangelizantium, & dona daturum esse hominibus.

Nec dubito quin omnes pij ubiq; terrarum inter legendum, uero gemitu hæc beneficia à filio Dei petant, agant etiam gratias Deo, quod non sinit in genere humano prorsus extinguere lucem Euangelij, sed sub inde eam restituit, & sibi colligit populum, qui hunc Triumphum comitetur, & fruatur eius sapientia, iustitia & bonitate in omni aeternitate.

Scio autem tibi quoq; in his curis & doloribus magnam leuationem adferre huius dulcissimi carminis lectionem.

Etsi autem extant multæ piorum & doctorum enarrationes in hunc Psalmum, tamen quia apud Iuniores eadem inculcari necesse est, ego quoq; inter enarrandum addidi breues admonitiones, præsertim cum interpretes Iudæi, & qui eos imitantur, inconcinne reddiderint figuras quæ sunt in carmine multæ & splendide.

Necesse est autem commones fieri adolescentiam de natiua sententia, de phrasi, de figurarum luminibus, deniq; & de utilitate Psalmi, quam doctrinam, quam consolationem, quas promissiones, quas comminationes recitet.

Has maximas res nulla eloquentia Angelorum & hominum satis exponere potest. Sed tamen initia  
discen-



discenda sunt, & placent Deo hæc exordia studij, ut  
inquit Psalmus: Ex ore infantium & lactentium per  
fecisti laudem. Nec possunt rudiores ordiri hanc do-  
ctrinam, nisi utcunq; sermo declaretur, & membra  
distribuantur.

Misi autem ad te hanc lucubrationem, & quia  
in ipsius Psalmi lectione te acquiescere scio, & quia  
te fauere his studijs, & in iudicando adhibere dexte-  
ritatem & candorem non dubito. Certe ueram & na-  
tiuã sententiam reddere bona fide conatus sum.

Nec in hac enarratione, nec in alijs meis scriptis  
noua dogmata gignere unquam uolui, sed Saxonica-  
rum Ecclesiarum sententiam incorruptam recitare stu-  
diui. Nec iudicia sincera & candida defugio.

Sic igitur ad te hoc scriptum mitto, ut etiam iu-  
dicem te esse uelim, ac simul precor filium Dei domi-  
num nostrum Iesum Christum, ut te & nos omnes re-  
gat, & sua dona det Ecclesijs harum regionum, &  
reprimat feram arũdinis, quæ exitium Ecclesijs  
minuitur. Bene uale, Vuittembergæ in

Pascate, Anni 1551. quod est

ab exitu ex Aegypto

Pascha 3060.

\* \*

\*



# PSALMVS

LXVIII.

Exurgat Deus:

Redditus latino Carmine

à Ioanne Stigelio.

**S**urge Deus, iustam quid adhuc es lentus ad iram,  
Quid ledunt oculos impia facta tuos?  
Huc ades, inq; fugam uictor conuerte rebelles,  
Qui te non cupiunt esse, fuisse uelint.  
Vtq; leuis tenues uapor euanescit in auras,  
Vt fluit in tepidis cera soluta focis:  
Disijce, perde, fuga sic agmina foeda malorum,  
Vt nunquam inueniant sparsa salutis opem.  
At uos qui Dominum iusta ratione timetis  
Plaudite, coelesti pectora chara Deo.  
Pandite saluifico genialia carmina Christo,  
Et resonent socijs iubila uestra choris.  
Nam Deus ut uindex radicitus eruet illos,  
Sic uos unanimes hic & ubiq; teget.  
Iam mihi iam uideor uenientis cernere uultus,  
O adsis populo saepe uocate tuo.  
Ite, parate uiam, uenienti applaudite Christo,  
Vndiq; letitiae sint bona signa nouae.

Sterni=



Sternite fronde uias, pictosq; inferte tapetas,  
Fragret odoratis terra rigata rosis.  
Prospera gauiso prædicite nuncia mundo,  
Et populis, uenit hic, dicite, uestra salus.  
Fallor? an ærias per clara uehicula nubes  
Ad nos è coeli labitur axe Deus?  
Suauiter inuehitur ueniens sanctissimus Heros,  
Qui merito Domini nobile nomen habet.  
Qui Pater afflictos humaniter aspicit orbos,  
Arbiter & uiduas uindice seruat ope.  
Qui populos habitans inter sua uerba professos,  
In se uisa pia corda tuetur ope.  
Qui male foecundis tribuit sua pignora nuptis,  
Et genus è sterili semine grande facit.  
Carcere detentos certis qui liberat horis,  
Credentesq; sua fulcit alitq; fide.  
Quiq; rebellantes siccis immergit arenis,  
Impiaq; in sterili corda relinquit humo.  
Cum Deus inuisæ loca per syluestria terræ  
Dux ires populum præuius ante tuum:  
Ima tuo horrescens tremuit sub pondere tellus,  
Motus & ingenti murmure Sina fuit.  
Insonuere graui coeli conuexa fragore,  
Decidit & largis plurimus imber aquis.  
Huc ades ô iterum populo expectate uocanti,  
Te ueniente iterum quassa tremiscat humus.



Nos iterum orantes foelicibus obrue nimbis,  
Proq; tua afflictos dexteritate iuua.  
A te nam patrij speramus munera coeli,  
Heredes regni nos patiare tui.  
Et tibi cum nostros adiunxeris ante parentes,  
Nos etiam ex illa parte fer esse tuos.  
Qua potes, afflictos releua pietate precamur,  
Da nobis uerbi mitia dona tui.  
Sed dabis, & totum implebis praekonibus orbem,  
Pectore quo deceat qui tua uerba canant.  
Qui uelut eductis ingens exercitus alis,  
Inuictum ponent per loca iussa pedem.  
Vnanimis illic sancibunt foedera Reges,  
Regia sed partas diuidet uxor opes.  
Illarumq; pio uictrix Ecclesia ductu,  
Vastabit Stygiae regna profunda plaga.  
Innumerasq; animas auido ex Acheronte reducens,  
Et spoliij & tituli praemia iusta feret.  
Vtq; micant aurum penna uibrante columbae,  
Cum uaga sub rutilo copia sole uolant:  
Sic procul illorum medijs tentoria campis  
Fixa relucens lampadis instar erunt.  
Omnia discussis redduntur clara tenebris,  
Qua ponunt tanti fulgida castra duces.  
Et quacunq; Deo loca distribuenta frequentant,  
In media fulget nocte serena dies.

Sicut



Sicut & uberibus ualidus mons consitus aruis,  
Immotam uentis sustinet ictus humum:  
Sic inuicta ferens dulces Ecclesia fructus,  
Hostiles surda negligit aure minas.  
Illa Dei mons est, quem nulla exciderit aetas,  
In quo perpetuo tempore uernat humus.  
Turba quid hunc reliqui contemnitis inuida montes?  
Hæc est magnanimi regia celsa Dei.  
Hanc Deus elegit, semperq; habitabit in illa,  
Nec sedes placido gratior ulla Deo est.  
Vestra quid irati sufflatis pectora Reges,  
Vestra quid inuidia saucia corda tument?  
Quis furor est illi exitium struxisse Monarchæ,  
Numina qui nutu perdere uestra potest?  
Dicite degeneres, genus Israëlis, Apellæ,  
Gens dilecta olim, nunc inimica Deo:  
Impia quid uestras seducit opinio mentes,  
Credere quæ Christum uos uetat esse Deum?  
Dum nisi Sinaicis ubi uos audiuit in oris,  
Aeternum nusquam creditis esse Deum.  
Non nouus hic Deus est, idem est qui in uertice Sinae  
Diuina est uestris uoce locutus auis.  
Ille quod à uobis falsa pietate colatur,  
Per quos est operum nube sepulta fides:  
In se confisas uoluit conuertere gentes,  
Cumq; nouo populo non nouus esse Deus.

A 5

Qui



Qui nunc edomita ducens de morte triumphum,  
Ingenti plausu uictor ab hoste redit:  
Et secum innumeros insignia bellica currus  
Ducit, & armata millia multa manus:  
Ascendensq; alti super ardua sydera coeli  
Ereptos Stygio carcere ducit auos:  
Iamq; triumphati post diruta tartara ditis  
Ingreditur tituli celsus honore sui.  
Pone sequi uideas uinctas post terga Megæras,  
Et locus hic tota cum Styge quidquid habet:  
Spirituumq; greges tam contra Heroa potentem  
Se nihil hic ausos uoce gemente quæri.  
Captiuos inter uictus regnator auerni,  
Dira fremens media ducitur ipse uia.  
Hic auras questu complent ululante Sathanes,  
Dum sibi perpetuo uincla futura uident.  
Illic Christiadum conscendunt iubila coelum,  
Quos sibi restituit uindice Christus ope.  
Interea sedes Ditis trahit atra ruinam,  
Vastantur Stygij regna superba Dei.  
Non iam Tartareus poterit nocuisse Tyrannus  
His qui te uero pectore Christe colunt.  
Iamq; repubescens rediuiui gratia mundi  
Lætitiæ ostendit publica signa nouæ.  
Cuncta triumphanti plaudunt elementa Monarchæ,  
Cuius ad incessum flectitur omne genu.

Blatt=



Blandius à summo delucent aëre soles,  
Mittior & solito temperat aura solum.  
Testantur uolucres blandis sua gaudia linguis,  
Harmonicis resonant terra polusq; modis.  
At Deus omnipotens curru sublimis ab alto  
Dispergit spoliij munera sancta sui:  
Munera saluifici coelestia semina uerbi,  
Per quæ mortales uiuida turba sumus.  
Ille rebellantes etiam dominatur in hostes,  
Victor & hinc merita præmia laudis habet.  
Falleris, hunc si quis fatua de plebe malorum,  
Posse tua uinci pestilitate putas.  
Impius ut uideat, contabescatq; uidendo,  
Hostibus in medijs estq; manetq; Deus.  
Tollite laude Deum, seu luce Diespiter orbem,  
Seu uaga nocturnis Cynthia lustret equis.  
Assidua qui nos onerare salute uidetur,  
Dum fundit uerbi prodiga dona sui.  
Fœlices longeq; supra sua fata uolantes,  
Quos manet hoc Domini dulce grauãtis onus.  
Non nos hic operæ fallax fiducia nostræ  
Agnatos cœlo, quos uolet, ille facit.  
Hoc duce proterimus minitantem funera mortem:  
Solut ab æterno liberat ille malo.  
Ille inimicorum franget capita alta suorum,  
Qui, nisi flagitijs, uiuere turpe putant.

Impia



Impia Iudæa delebit semina gentis,  
Turpe quod à priscis degenerarit diuis.  
Exiget inuisos terraq; mariq; Tyrannos,  
Regibus heu uictis uulnera quanta dabit.  
Solis ad occasum mundum peragrabit ab ortu,  
Corporibus cæsis tota tepebit humus.  
Ibit & immundis per strata cadauera campis,  
Sanguinis intinget profluuioq; pedes.  
Eius & hostili pascentes sanguine fauces  
Fœdabunt tepido rostra cruore canes.  
Iam qualis quantusq; trabas longæ agmina pompa,  
O mihi non dubio corde recepte Deus.  
Qualibus incedas ducibus Rex magne uidemus,  
Imperium mundi qui sine fine tenes.  
In primo resoni præcedunt agmine uates,  
Qui docto reddunt gutture dulce melos.  
Inde uiri cytharis, & docti ludere naulis  
Dulcisonis resonant carmina blanda modis.  
Candida quos circum comitantur turba puellæ,  
Quassantes tenera tympana blanda manu.  
Quacunq; est sanctæ quædam communio plebis  
Incidit in laudes mentio multa tuas.  
Stirpe quod è magni, ceu fontibus Israël  
Deriuës regno subdita corda tuo.  
Quid memorem Heroas tua Martia signa ferentes,  
Beniamin primas quos puer inter habet.

Aspice



Asspice ut hic primis pompæ sese arduus alis  
Inferat, & reliquos fulgeat ante Duces.  
Paruulus hic olim, sed iam non paruulus, extra  
Humanos sensus raptus in astra uolat:  
Cuius ab ingenuo nascentur sanguine reges,  
Qui doceant uerum turba professa Deum.  
Auguror, & uideo, longæui cedite patres,  
Nescio quid maius prisca Damascus alit:  
Qui nunc Tarsiaci prodis è sanguine miles,  
Saulus es, exiguo tempore Paulus eris.  
Præuius in tenebris tu Dux errantibus ibis,  
Et facies miris multa stupenda modis.  
Nascere sancte puer, magni tuba bellica Christi,  
Assertor regni maximus huius eris.  
Parte alia incedunt tanti pia membra triumphi,  
Edita de Iudæ semine turba duces.  
Quiq; Genesarethis, nati stagnantis ad undas,  
Quos Zabulon, & quos Naphthalis ora tulit:  
Prisca quibus patrias fecit Bethsaida cunas,  
Terraq; quam liquidis Iordanis ambit aquis.  
Talibus atq; alijs Ducibus tua signa secutis  
Magne tui uires roboris adde Deus.  
Te ducente tuos pius hic exercitus hostes  
Conterat, imperij tu rege frena tui:  
Fac nihil hic, nisi quod iubeat tua sancta uoluntas,  
Imposita sudans sub cruce miles agat.

Et



Et quaecunq; uolens animis operabere nostris  
Fac tuus in nobis Spiritus ista regat:  
Ad diuina tui diuertens numina templi  
Confluet in Solymas plurima turba plagas.  
Externiq; tibi portantes munera Reges,  
Committent uerbo seq; suosq; tuo.  
Perde laborantis tacitas Cacodæmonis artes,  
Ille dolos nobis quos meditetur habet.  
Bestia ut expectans taciti sub arundine lustris,  
Quos uidet immitti deuorat ore greges:  
Sic is sollicitis nos undiq; passibus ambit,  
Quos uidet incautos, in sua uincla rapit:  
Vtq; sit uberior captæ uictoria præda,  
Hei multos socios in sua uota trahit.  
Hi sunt quos auri stimulat uesana cupido,  
Et misera macerans ambitionis amor.  
Pontifices, mystæ, sed quos memorare molestum est,  
Aurum qui ficta religione colunt.  
Atq; auidi uacuum ceu captant aëra tauri,  
Quos intus macerans urit anhela fames:  
Hi sua sic auidis arrodunt pectora curis,  
Immensas cumulet donec aceruus opes.  
Inde fit ut falsis uitient tua dogmata sectis,  
Et lacerent ueræ religionis opus.  
Quos Deus è medio digneris tollere uictor,  
Floreat ut regni gloria uera tui.

Conte



Contere sanguinei sitientia corda cruoris,  
Qui temere affectant flebile Martis opus.  
Perde pijs cædem meditantes mentibus hostes,  
Qui iactant rabidas in tua uerba minas.  
Ad tua confugient peregrinæ numina gentes,  
Ut dedant placidas sub tua iura manus.  
Sueta relinquentes septemplicis hostia Nili  
Accurrent Pharij cum duce quisq; suo.  
Audiet extremi te decolor accola Gangis,  
Porriget & faciles in tua iussa manus.  
Ferte Deo grates totum uaga regna per orbem,  
Et canite unanimi carmina blanda sono.  
Qui rerum Dominus cœlestes peruolat orbis,  
Et solus uitam rebus inesse facit.  
Ipse dabit uires animis sua dona professis,  
Ipse dabit uerbo pondera iusta suo.  
Ille sui regni finite ut moderetur habenas,  
Non male quod cœpit prouehet autor opus.  
Huic ferte acceptum, soli huic ascribite, si quid  
Proficitis uestra turba beata fide.  
Ille agit in uobis, agitante calefcitis illo,  
Hic uigor è cœlo non aliunde uenit.  
Ut pluit Aërijs tenues è nubibus imbres,  
Sic pluit è uobis cœlica uerba Deus.  
Magna urget præstare suos miracula sanctos,  
Quos sanctæ exercet dura palestra crucis:

Qui



Quicumq; intrepido profitentur pectore Christum,  
Iustaq; cum uitijs hoc duce bella gerunt:  
His Deus inuictos animos, his nescia frangi  
Sufficit, & caelo pectora digna frui.  
Laus tibi magne Deus, tibi tellus plaudat & Aether,  
Te, quidquid toto spirat in orbe, canat.  
Cuncta retro sublapsa prius sine legibus ibunt,  
Quam cesset meriti gratia lausq; tui.

FINIS.

Laus Deo.





# PSALMVS

## LXVIII.



**X**VRGAT  
Deus & dissipen-  
tur inimici eius,  
& fugiant qui o-  
derunt eum à fa-  
cie eius.

Sicut dispelli-  
tur fumus, dispelle eos, sicut fluit cera à  
facie ignis, sic pereant impij à facie  
Dei.

Et iusti lætentur & exultent in con-  
spectu Dei, & delectentur in lætitiâ.

Cantate Deo, Psalmum dicite nomi-  
ni eius, parate viam ei, qui inuehitur  
molliter, DOMINVS nomen illi, Exul-  
tate in conspectu eius.

Qui pater est Orphanorum & ius-  
dex viduarum, Deus in habitaculo san-  
cto suo.

Deus qui solitarios habitare facit

B do



PSALMVS

domum, & educit uinctos congruo tempore, rebelles autem habitabunt siccitatem.

Deus cum egrederis in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, Sela.

Terra mota est, & coeli distillaerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei, Dei Israëli.

Pluuiam largam effundis Deus, hæreditatem tuam laborantem, tu re-creas.

Animalia tua habitabunt in ea, re-creas bonitate tua adflictum Deus.

Dominus dabit uerbum cum magno exercitu Euangelistarum.

Reges exercituum sunt amici, & decus domus diuidet spolia.

Cum castrametamini (eritis sicut) alæ columbæ, cuius pennæ argento & auro rutilante coopertæ sunt.

Cum constituit omnipotens reges super eam, sicut nix dealbabuntur tenebræ.

Mon



LXVIII.

Mons Dei, mons pinguis, mons  
excelsus, mons pinguis.

Vt quid exultatis montes excelsi?  
Hic est mons in quo beneplacitum est  
Deo habitare, etenim **DOMINVS** ha-  
bitabit in eternum.

Currus Dei millies mille, **Domina**  
nus in eis in Sinai sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captiui-  
tatem, accepisti dona in hominibus,  
etiam rebellibus ut inhabitet **DOMI-**  
**NVS** Deus.

Benedictus Dominus quotidie, o-  
nus imponit nobis Deus, & tamen sa-  
lus est nostra, Sela.

Deus noster Deus ad saluandum,  
& **DOMINVS** est Dominus educens  
ex morte.

Veruntamen Deus confringet ca-  
pita inimicorum suorum, uerticem ca-  
pilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus, de pinguibus cō-  
uertam, conuertam de profundo ma-  
ris.

B 2 Pro



PSALMVS

Propterea intingetur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum de inimicis linget.

Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuencularum tympanistriarum.

In Ecclesijs benedicite Deo, Domino, de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescentulus, dominatur eis, Principes Iuda cum suis turmis, Principes Zabulon, & principes Neptalim.

Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam, Confirma hoc Deus, quod operatus es nobis.

Propter templum tuum in Hierusalem, tibi offerent reges munera.

Increpa feram arundinis, congregationem taurorum inter uitulos, populos conculcantes propter argētum, Dissipat gentes, quæ bella uolunt.

Ve



Venient legati ex Aegypto, Aethiopia extendet manus suas ad Deum.

Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino, Sela.

Insidenti cœlis cœlorum ab initio, Ecce dabit uoci suę uocem roboris.

Date gloriam Deo, super Israël magnificentia eius, & robur eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse est Deus Israël, dabit uirtutem & fortitudinem plebi, Benedictus Deus.

B 3 Ars





**ARGV**  
**MENTVM PSALMI**  
**LXVIII.**

**Exurgat Deus &c:**



**CERTVM** EST TO  
tam Ecclesiam Angelorum  
& hominum initio ideo  
conditam, ut Deus ei suam  
sapientiam, iustitiam, ui-  
tam, & omnia aeterna bo-  
na communicaret, & ut  
esset tanquam domicilium seu templum Dei, in quo  
agnosceretur & celebraretur, uerus & unus eter-  
nus Deus, & natura sic est ordinata, ut Deus eius Ec-  
clesiae esset caput, quam regeret & defenderet, & ei  
largiretur aeternam uitam & iustitiam, & ut intelli-  
gerent ac agnoscerent Angeli & homines hoc caput  
suum, ei obedirent, nec ab eo se seiungerent, nec disce-  
derent extra suum ordinem.

Sed ab hoc capite, primum ingens Angelorum  
multitudo, deinde & humana natura discessit: coepit  
igitur Deus utrisq; & angelis & hominibus peccan-  
tibus,



tibus, & institutum à se ordinem conturbantibus,  
horribiliter irasci, aliter tamen angelis, aliter homini-  
bus. Contra angelos perpetuo & insanabili odio &  
furore aduersus Deum grassantes, tota & implaca-  
bilis ira Dei accensa & effusa est, quos catenis infer-  
ni in tartarum includendos, tradidit seruandos in iu-  
dicium. Hi igitur semel à capite suo Deo auulsi, quia  
ab ipso iam amplius non reguntur, ideo sunt sine luce,  
sine iustitia et uita aeterna, & precipites in aeternum  
exitium ruunt.

Quia uero genus humanum ex imbecillitate im-  
pulsus & seductus dolis & mendacijs diaboli, la-  
psus est, ut auulsum rursus ad Deum caput suum, et in  
eum ordinem, in quem initio conditum est, restitueretur: ideo  
pro genere humano filius Dei fit deprecator, & pœ-  
nã, quam iustissimæ iræ Dei nos debebamus, ipse pro  
nobis persoluit, affixus cruci, delens chirographum  
quod nobis contrarium erat, & donans nobis omnia  
delicta nostra. Deinde tertio die ex morte ideo resu-  
scitatur, ut uictor peccati, mortis & diaboli, in se cre-  
dentibus amissa bona, aeternam iustitiam & uitam  
restituatur, sicuti inquit Psalmus 22. *Viuet cor eorum  
in seculum seculi.*

Hoc modo genus humanum rursus adiunctum  
est uero capiti per Mediatorem filium Dei.

Ceterum cum Psalmus 68, cuius initium est,  
**Exurgat Deus &c.** de beneficijs filij Dei, ui-  
delicet,



delicet, de glorioso & magnifico triumpho, & de ascensione Christi ad caelos, de mittendo Spiritu sancto, de regno Christi aeterno, & ministerio uerbi per Apostolos & uocem Euangelij constituendo, de discrimine legis & Euangelij, de cruce, de defensione & conseruatione Ecclesiae, & tota eius reductione ad caput suum Deum, conditorem Angelorum & hominum, uberrimam doctrinam contineat: Ideo huius Psalmi enarrationem suscepi, cum & hoc tempore memoriam ascensionis Domini & donationis Spiritus sancti in Apostolos effusi, celebremus.

Est autem hic Psalmus insignis et ex praecipuis. Primum enim continet gratiarum actionem pro beneficijs tum corporalibus tum spiritualibus populo Israelitico exhibitis in educatione ex terra Aegypti, quod Deus hunc miserrima seruitute oppressum liberauerit, quod Pharaonem & caeteros eius hostes fugauerit et deleuerit, mirabiliter hoc populo seruato, in mari rubro, in eremo, in summa inopia omnium rerum ad uitam necessariorum, in summis periculis & plurimis aerumnis. Item quod ipse huius populi dux & defensor fuerit, quod in Sinai monte legem & certos cultus tradiderit, & simul ecclesiam & politiam pulcherrimam in orbe terrarum, in hoc populo instituerit. Pro his tantis rebus agit Propheta hic gratias, & simul petit ut & porro Deus hunc populum regat, defendat & seruet.

Secun=



Secundo transfert Propheta hæc beneficia Israël in educatione ex Aegypto exhibita, ad beneficia spiritualia, atque adeo ad liberationem quæ per Messiam promissum futura erat, qui totum genus humanum captiuum, ex regno peccati, mortis & diaboli, in regnum iustitiæ & uitæ æternæ sit educturus & translaturus.

Est igitur hic Psalmus illustris prophetia de regno Christi, de gloriosis ipsius uictorijs, & est prorsus carmen Triumphale, qualis descriptio triumphi apud Paulum est Coloss. 2.

Exordium Psalmi, quod prioribus tribus uersibus continetur, est precatio, qua petitur defensio Ecclesiæ, ut eius hostes reprimantur, & deleantur, & Ecclesia fruatur pace & letitia in Deo suo & ex ipsius beneficijs.

Deinde in uersu cuius initium est, Cantate Deo, Psalmum dicite nomini eius, sequitur propositio. Hortatur enim totam Ecclesiam, ut concio pœnitentiæ, quam hic cantum & psalmum uocat, sonet in Ecclesia, ut Domino regi Christo, in uoce Euangelij tanquàm in triumphali curru uenienti, homines uiam parent, agnoscant peccata sua & ea deplorent, & ad hunc regem uictorem peccati, mortis & diaboli, fide confugiant, in eo acquiescant, latentur & exultent. Ad-



ditur autem propositioni amplificatio, cum huius regis persona & officia describuntur. Dicit nomen eius esse יהוה hoc est יהוה, est enim eius nominis abbreviatio, quæ uox tantum unico & æterno Deo tribuitur.

Significat igitur Messiam uerum Deum esse, uocat & patrem orphanorum & iudicem uiduarum, & clavis uerbis eū אלהים Deum uocat, habitantem in loco suo sancto, hoc est, in Ecclesia, in credentium, contritorum & afflictorum cordibus, & ibi ordine eius officia commemorat, quod Ecclesiam multiplicet, uinctos liberet, & hostes Ecclesiæ puniat.

Ita posteaquam regis personam & eius officia descripsit, subijcitur tandem narratio, quæ ex Antithesi constat.

Est enim illustris collatio Legis et Euāgelij, in qua utriusq; discrimen, officium & effectus depinguntur.

Principio autem commemorat hunc regem filium Dei fuisse ducem huius populi, educentem eum ex Aegypto, liberantem à Pharaone, qui in Sinai locutus sit Moisi, qui ibi legem, cultus, ceremonias dederit, qui certam politiam ibi constituerit, qui editis tot miraculis populum semper defenderit, seruauerit.

Dicit autem legem in Sinai datam esse cum horribili specie, terram motam et cælos distillasse à facie Dei Sinai, quo significat legem non esse doctrinam uiuifi-



uiuificantem et exhilarantem corda, sed terrentem & ostendentem peccata & iram Dei.

Ceterum in altera parte narrationis, quæ est (Pluuiam &c.) concionatur de Spiritu sancto mittendo & effundendo in Apostolos & omnes credentes, atq; adeo de larga Euangelij pluuiâ, quæ, non ut Lex in Sinai cum terrore, sed ex Sione placidè & beneficè in hereditatem Dei aridam, hoc est, in Ecclesiam, in credentium corda contrita & pauesceta, effusa, ea agnitione bonitatis & gratiæ Dei, non imputantis peccata, & nos gratis propter filium recipientis, sit recreatura & uiuificatura, ut fructum postea copiosum ferant.

Absoluta narratione redit ad descriptionem officiorum Christi regis: Et cum duo præcipua sint regum officia, pascere, & aduersus iniurias defendere subditos, ostendit & hunc regem fore, & pastorem & bellatorem fortem.

Curam regis suos pascentis, describit duobus uersibus: Animalia tua habitabunt in ea &c. Item Dominus dabit uerbum cum magno exercitu Euangelistarum.

Quia uerò diabolus hostis filij Dei extremè uerbum Euangelij odit, ideo suscitât bella, excitât hæreses, persecutiones, incēdit homines odijs, cōtra doctrinā Euangelij, ut perditā et extinctā uelint hereditatē filij Dei, hoc est, Ecclesiā. Cum igitur filius Dei sit  
rex,



rex, custos & defensor Ecclesie, ideo contra diaboli  
furores, ipse belligeratur, agit excubias, reprimit &  
cohercet diabolos & tyrannos grassantes in Eccle-  
siam, & eam seruat. Seruat & doctrinam incorru-  
ptam contra hereses & sectas, per consensum piorum  
doctorum, & subinde doctrinam repurgando & res-  
taurando.

Hoc bellum describit ordine quinque uersibus, ab  
eo cuius initium est, Reges exercituum sunt amici.

Ostendit autem Christum summum & aeternum  
regem & pontificem, constituere, pro defensione Ec-  
clesie, sub se etiam alios reges & principes, quorum  
uoce & ministerio uult colligi & conscribi Ecclesie  
milites & ingentes exercitus, quibus contra diabo-  
lum & mundum filius Dei pugnat, & suis robur &  
uictoriam largiens, hostes suos uincit.

Hi reges & principes duces exercituum Chri-  
sti, sunt Apostoli, Episcopi, pastores omnium aetatum  
Ecclesie Dei.

Inprimis uero obseruandum est, quod hoc in lo-  
co precipitur consensus doctorum Ecclesie. Neque  
enim hoc bellum contra tantum hostem diabolum fe-  
liciter geri, neque uictoria parari, dissentientibus ipsis  
ducibus, potest. Et illustris ualde similitudo est, cum  
Ecclesiam ingenti exercitui, in spaciofo campo castra  
metanti, comparat, & eius arma ex aduerso sole ful-  
gentia & radiantia depingit.

Illustris



Illustris & altera similitudo est, cum Ecclesiam pingui, fertili & excelso monti comparat, cum quo, etsi alij montes, monarchiæ, regna & imperia orbis terrarum, omnibus ætatibus bellum gerant, tamen illis euersis, hic solus stat firmus & immotus, hic solus est sedes & habitatio Dei conditoris rerum, contra quem montem, ne inferorum quidem portæ præualebunt.

Post bella et pugnas cōmemoratas, subiicit iam descriptionem uictoriarum & triumphi Christi, uictoris peccati, mortis, diaboli, inferorum & mundi, in his duobus uersibus: Currus Dei milies mille & c. Item, Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem etc.

Ideo autem hic uictor ascendit ad cœlos, & sedet ad dextram æterni patris, ut regat & defendat Ecclesiam, det ad ipsum confugientibus dona, Spiritum sanctum, nouam lucem, iustitiam, letitiam & uitam, & ut ad se traducat totam Ecclesiam, in omnem æternitatem uicturam cum Deo. Sunt igitur isti milies mille currus Dei, tota Ecclesia Angelorum & hominum, hunc uictorem & ducem suum celebrans.

Quanquam autem Ecclesia per Christum sit liberata a morte, peccato, & tyrannide diaboli, & donata æterna iustitia & uita, tamen Deus eam in hac uita propter certas causas uult esse subiectam cruci: Ideo ab instituta triumpho descriptione paulisper digrediens,



grediens, subiicit doctrinam de cruce, & tolerandis afflictionibus, cui addit consolationem, quod quam uolente Deo, uarijs oneribus et ærumnis prematur Ecclesia, tamen eius custodem & liberatorem esse filium Dei. Sic enim inquit, Benedictus dominus cotidie, onus imponet nobis Deus, sed ideo ut nos seruet, Deus noster Deus ad saluandum, & dominus est dominus educens ex morte.

Consolatur igitur Ecclesiam, sed hostibus Ecclesie minatur certam poenam, cum ait: Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum etc. quæ comminatio proprie ad Synagogam pertinet.

Addit autem prophetiam, qua significat quosdam ex Iudeis conuertendos ad Christum, reliquam uero multitudinem populi Iudaici impiam, cum lege, templo, sacerdotio ac tota politia Moysi euertendam, quæ prophetia in excidio Hierosolymæ impleta est.

De Iudeorum conuersione concionatur uersus, Dixit Dominus, de pinguibus conuertam etc. Sequens autem uersus, Propterea intingetur pes tuus in sanguine, uaticinatur de excidio reliquæ gentis Iudaicæ quæ conuerti noluit.

Cæterum quia supra à descriptione triumphis est digressus, ideo in sequentibus . . . quatuor uersibus ad eam redit, & eam absoluit, cum ait, Viderunt ingressus tuos Deus & c. Fuit autem ritus, ut in pompa triumphali currum uictoris ducentis triumphum, præcederent



rent qui *paena seu et vivitop*, hoc est, carmen triumphale canerent, quibus coniunctae erant puellae tympana pulsantes. Hanc pompam triumphalem uictoris Christi, hic describit ordine, de qua postea copiosius dicturi sumus.

Postquam autem triumphum Christi regis uictoris, & ipsius regnum, spiritualibus & coelestibus bonis florentissimum descripsit, subiicit tandem in tribus uersibus, orationem ualde necessariam, ut Deus porro huic regno Christi felices successus dare, & illud contra diaboli & hostium furores tueri & confirmare uelit, cum ait, *Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam, Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis etc.*

Orationi additur Prophetia de gentium uocatione, *Venient legati ex Aegypto etc.*

In fine, cum inquit, *Regna terræ cantate Deo etc.* Addit exhortationem, ut tota Ecclesia agat gratias Deo pro hoc amplissimo regno constituto, cui attexit promissionem & consolationem: *Deus Israël ipse dabit uirtutem & fortitudinem plebi, qualis illa est, portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, hoc est, erit uictrix, non delebitur, sed seruabitur*

Ecclesia etiam furentibus & eam oppugnantibus tyrannis & diabolis. Hæc

breuiter de argumento Psalmi sunt

dicta. Sequitur iam

enarratio.

EXOR=



## EXORDIUM.

Exurgat Deus & dissipentur ini-  
mici eius, & fugiant qui oderunt  
eum, à facie eius.

**E**xordium Psalmi sumptum est ex Moise, Nu-  
mer. 10. Vbi scriptum est, cum castra essent  
mouenda, priusquam totus populus ingrederetur iter,  
arcam foederis tanquam ducem, trium dierum spacio  
necesse erat praecedere, ad quaerendum locum castro-  
rum. Cumq; à Leuitis eleuaretur arca, Moises contra  
hostium irruptiones petens à Deo defensionem, sic ora-  
bat, Surge Domine, & dissipentur inimici tui, et fu-  
giant qui oderunt te à facie tua. Cum autem à Leuitis  
deponeretur, aiebat, Reuertere Domine ad multitu-  
dinem exercitus Israël.

Arca igitur foederis, est Ecclesia Dei, foedus au-  
tem est ipsum uerbum cum Sacramentis, quibus me-  
diante fide coniungimur et copulamur Deo. Aurea  
tabula qua tegebatur arca, quæ uocabatur propicia-  
torium, est Christus quem proposuit Deus propicia-  
torem per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3. qui arca  
operculum est, hoc est, qui aduersus iram Dei, pecca-  
tum, mortem, diaboli et tyrannorum sauitiam Eccle-  
siam tegit et defendit.

Exuscitat igitur Propheta in exordio huius Psal-  
mi,



mi, tum se tum totam Ecclesiam ad gratiarumactio-  
nem & precationem pro defensione Ecclesie omnium  
temporum, mentione & recordatione admirande li-  
berationis ex Aegypto & defensionis populi Israeli-  
tici, & ueterum beneficiorum. Quasi dicat:

O Deus patrum nostrorum, qui populum tuum  
miserrima seruitute in Aegypto oppressum, rege Pha-  
raone, & ceteris hostibus populi tui fugatis, ac non  
secus ac fumo dispersis & perditis, mirabiter liberaisti  
& seruasti, precor te, ut propter promissum propicia-  
torem, ducem & custodem populi tui, porro serues  
Ecclesiam tuam, seruantem & amplectentem fœdus,  
hoc est, uerbum, cultus & ceremonias per te traditas,  
similiter fugatis & perditis tuis hostibus, ut Patrum  
tempore.

Est igitur hoc exordium gratiarumactio & si-  
mul precatio pro defensione Ecclesie omnium tem-  
porum.

SECUNDVS.

Versus.

Sicut dispergitur fumus, disper-  
gantur.

Sicut liquefit cera à facie ignis,  
sic pereant impij à facie Dei.

C

Exora



Exordium amplificatum est per similitudinem  
& collationem. Sunt autem obseruandæ tales simili-  
tudines, in quibus pijs consolatio proposita est. Ni-  
hil uidetur in genere humano magnis imperijs, floren-  
tibus opibus, potentia & autoritate, firmitus & du-  
rabilius.

Formidabiles Ecclesiæ Dei, propter potentiam,  
tyrannidem & sæuitiam fuerunt, Pharao, reges Ca-  
naan, Sennacherib, Nabuchodonosor, Nero, Iulianus  
& similes: Et erunt omnibus temporibus quidam re-  
gum & potentum, qui Ecclesiam delere & disperge-  
re conabuntur. Sed tales similitudines, ubi tyrannos  
fumo, ceræ, paleis, uasis figulinis comparat scriptu-  
ra, & promissionem & consolationem proponunt,  
fore ut, etsi Adamantini, saxeï & ferrei, & omnia de-  
lecturi uideantur, ipsi tamen non secus ac fumus & pa-  
lea, breui diuina uirtute dispergantur, & Ecclesia  
seruetur, sicuti historia persecutorum Ecclesiæ omni-  
bus temporibus testatur.

Comminatur igitur hic certum exitium hosti-  
bus Dei, & pios contra ipsorum sæuitiam in uersu  
sequenti consolatur.

Et iusti lætentur & exultent in  
conspectu Dei, et delectentur in  
lætitiâ.

Vetus



Vetus translatio habet, Et iusti epulentur, cum  
hebraeus **נמץ** habeat, quod est, letatus, gaudius  
est, Graecus εὐφραίνωμαι, quod similiter letari,  
exhilarari significat.

In hoc uersu continetur altera pars collationis,  
hostes Ecclesiae pereunt, & tanquam fumus disper=  
guntur. Sicuti Pharaon cum exercitu in mari rubro  
ita perijt, ut ne nuncius quidem tantae cladis superes=  
set, & reges terrae Canaan fugati, & uicti, populo  
Dei cesserunt suas possessiones. Illarum enim histo=  
riarum hic praecipue meminit.

Deinde quanta dispersio populi Iudaici, quod  
Christum & Apostolos interfecissent, per Romanos  
facta est, quae iam ultra annos 1500. durauit. Postea  
cum Romani imperatores persecutiones aduersus Ec=  
clesiam Christi horrendas mouissent, eius monarchiae  
potentia per Gotthos & Vandalos fracta & debili=  
tata est, & postea secuta est illa distractio & auul=  
sio regnorum ab imperio Romano, de qua Daniel  
Propheta uaticinatur, ita ut ueteris potentiae Imperij  
Romani uix reliquiae restent.

Intereunt igitur hostes Ecclesiae, at ipsa etiam  
in medijs imperiorum ruinis seruatur, & letatur,  
quanquam oppressa cruce, in Christo rege, & uicto=  
re suo, per quem peccatum deletum, iram Dei placa=  
tam,



tam, mortem absorptam, & diaboli potentiam euer-  
sam, & se ad æternam uitam, iustitiam & letitiam  
uoce Euangelij uocari nouit & certo credit: ideo non  
potest non letari tantis bonis per CHR I stum regem  
suum ipsi partis.

## PROPOSITIO.

Cantate Deo, Psalmum dicite  
nomini eius, parate uiam ei qui in-  
uehitur molliter, DOMINVS no-  
men illi, exultate in conspectu ei-  
us.

Principio explicanda hic sunt, quæ ad uersio-  
nem & grammaticam pertinent.

Vetus translatio habet, Iterfacite ei qui ascen-  
dit super occasum, **בְּעֶרְבוֹת** Baëreboth n. inter-  
pretantur super occasum. Dicunt autem Hebræi, sicuti  
& Nicolaus de Lyra affirmat, id esse nomen propri-  
um unius de septem coelis, uel à suauitate, uel solitu-  
dine sic dictum: Varia enim eius uocis significatio  
est. Nos autem eam uocem ab **עֶרֶב** deducimus,  
quod nomen suauitatem significat, ut Prouerb. 20.  
Suauitas est uiro panis mendacij.

Canticorum 2. Quoniam uox tua suavis seu sua-  
uitas.



uitas. Eius nominis plurale est, עֲרֵבוֹת, quod hoc loco in nostro Psalmo positum est.

Significat igitur non cœlum desertum stellis, sed suauitatem.

Instituit enim hic Propheta collationem Legis & Euangelij, quam infra in narratione absoluet. Ostendit enim duos esse currus, in quibus Deus regum rex uehitur.

Primum esse legem, in quo non molliter, sed horribili cum fragore & sonitu uehitur, ita ut terra moueatur, fluant montes à facie domini. Cernuntur enim fulgura micantia, audiuntur tonitrua, & sonitus bucinae horrendum stridet, totus mons Sinai fumat, & ardet incendio. Ostendit n. lex peccatum, & horribilem iram Dei aduersus peccatum, maledicit & damnat omnes nō præstantes integram obedientiam Deo. Ideo Paulus uocat ministerium mortis & c.

Alter currus, in quo uictor & triumphator peccati, mortis & diaboli, filius Dei uehitur, est suauissima & dulcissima Euangelij uox, de qua Canticorum 2. ita scriptum est, Sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis etc. De quo molli & suauis aduentu huius regis & Zach. 9. extat uaticinium: Exulta satis filia Sion: Iubila filia Hierusalem, Ecce rex tuus ueniet tibi iustus et saluator, ipse pauper et ascendens



super asinam et super pullum filium asinae, et loquitur pacem gentibus. Et Esa. 42. Non contendet neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis uocem eius, Harundinem quassatam non confringet etc.

Mosis hæc est uox, Maledictus qui non manserit in omnibus. At Christi hæc est, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos. Inuitat ad se omnes qui peccata sua agnoscunt, et iram Dei sentiunt, et affirmat omnes confugientes ad se, gratis propter se recipi et saluari à patre. Ita hic triumphator mollissimè & dulcissimè in uoce Euangelij uehitur.

Iubet autem hunc uictorem uenientem gratis animis excipi, cū ait, **Cantate Deo, Psalmum dicite nomini eius**, hoc est, gratias agite Deo, quod hic rex ultro, non inuitatus à uobis, ad uos uenit, ut uos liberet et saluet. Docet autem quomodo sit excipiendus, nempe ut iter ei paretur, ut omnia in uia sint plana et recta, sicuti et Baptistæ uox sonat, **Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.**

Duæ enim sunt partes doctrinæ Euāgelij, prior est concio de pœnitentia, qua uenienti Domino uia sternitur, et hospitium paratur. Neque enim hic rex alibi quam in corde contrito, et tremente sermones suos habitare uult, sicuti Esa. ult. scriptum est.

Altera



Altera est concio de remissione peccatorum gratuita propter Christum, cum fide hunc regem, uoci Euangelij tanquam equo insidentem & ad nos uenientem, excipimus, et ut liberatorem nostrum complectimur: **כבב**, enim uox hic posita, significat, equitauit, ascendit equum, uectus est. Ita et psalmo 45. hic rex in suo ornatu, accinctus gladio, et equo insidens, describitur, Accingere inquit gladio tuo, super femur tuum, potentissime, gloria tua et decore tuo. Et in decore tuo prosperare, et equita super uerbum ueritatis et afflictionis propter iustitiam. Ideo Munsterus hunc locum sic uertit: Cantate Deo et psallite nomini eius, exaltate eum, qui orbibus cœlorum uelut equo insidet. Orbes autem cœlorum quibus hic rex uehitur, est ipsa doctrina Euangelij.

### Dominus nomen illi.

Interpretes uariè hunc locum reddiderunt. Hebraeus sic habet **שמו ביה** In Ia nomine eius. **יהוה** uero uox hic posita, est abbreviatio uocis **יהוה**, quod est nomen tetragrammaton, et soli uero Deo tribuitur, et Messiam liberatorem significat. Non autem obscura est sententia, si in uersu grammaticam cōstructionē obserues, quæ est, Cantate Deo, Psal. dicite nomini eius, in Ia nomine eius, sc. cātate et psallite: Ostē



dens quod sit eius nomen, videlicet, יהוה, in cuius nomine, id est, in cuius Domini mediatoris, nempe filij Dei, fiducia, uelit inuocari et celebrari Deum.

Hortatur igitur ut in nomine, hoc est, in notitia, agnitione et fiducia promissi Messiae liberatoris, Deum celebremus, inuocemus, et ei gratias agamus pro liberatione et defensione, et ut ex ipsius beneficijs letemur, sicuti inquit, Exultate in conspectu eius.

Posteaquam enim mentes antea et peccato et sensu irae Dei conterritae, in uoce Euangelij, Dominum filium Dei equitantem et uenientem, exceperunt, et fide complexae sunt, iterum eriguntur et consolationem accipiunt, quam pax, uita et uera letitia sequitur, Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Cum igitur Messiae regi nomen יהוה, tribuit, quod unius ueri et aeterni Dei nomen est, significat Messiam natura Deum esse. Sequitur in Psalmo.

DESCRIPTIO REGIS  
uis uictoris.

Qui est pater orphanorum, &  
iudex uiduarum.

Deus in habitaculo sancto suo:

Pergit



Pergit in descriptione personæ regis uictoris  
supra instituta: Vbi primum ostendit hunc regem, ue-  
rum et æternum Deum esse. Hic uero eius officia or-  
dine commemorat. Primo autem uocat Patrem or-  
phanorum et iudicem uiduarum.

Vere autem Ecclesia & singuli pij in hoc mun-  
do sunt tanquam orphani et uiduæ, desertæ et destitu-  
tæ omnibus præsijs humanis, et tales quoq; omnes  
horrore peccati, iræ Dei et mortis oppressi sunt, qui-  
bus nisi filius Dei opituletur, perire eos necesse est.  
Talibus miseris orphanis destitutis omnibus humanis  
auxilijs, ipse filius certam opem promittit, cum in-  
quit, Non relinquam uos orphanos, ero uobiscum  
usq; ad consumationem seculi. Et Psalmus 10. Tibi  
derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Et  
Psal. 27. Pater meus et mater mea dereliquerunt me,  
Dominus autem assumpsit me.

Tales consolationes infigamus animis, et cum de-  
serti uidemur, credamus filium Dei affuturum et opi-  
tulaturum nobis, et ut adsit, ardentibus uotis peta-  
mus.

Quanquam enim longius adflictis conscientijs  
abesse, et Ecclesiam ac ærumnosos deseruisse uideatur  
Deus, tamen cum Ecclesia sit sedes Dei, et in cordibus  
contritorum uelit habitare Deus, certa fiducia statua-



mus eum esse praesentem nobis, sicuti hic inquit, Deus in habitaculo sancto suo, hoc est, adest orphanis & miseris petentibus ab eo opem: tales enim sunt eius habitatio sancta, Sicuti 2. Corin. 6. scriptum est, Vos estis templum Dei uiui, sicuti dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis &c. Et Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

### Deus qui habitare facit unicos domum.

Id est, qui ex solitarijs & unicus personis magnam familiam facit.

Primum officium regis Messiae est, quod Ecclesiam orphanam & desertam contra mundi & diaboli seuitiam defendit & seruat. Secundum, de quo hoc loco, quod Ecclesiam unicum & solitariam multiplicat. Loquitur autem hic de futura Euangelij propagatione, quae facta est, cum Spiritus sanctus effusus est in Apostolos, & per illos uox Euangelij sparsa est per totum terrarum orbem, ibi Ecclesia, quae in populo Israeël antea erat parua, solitaria & sterilis, per gentium accessionem ita est multiplicata, ut domus impleretur filijs. Psalm. 113. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum letantem. De hac propagatione



pagatione Ecclesie, & Esa. 54. concionatur cum ait,  
Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem & hin-  
ni quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ ma-  
gis, quam eius quæ habebat uirum & c.

### Qui educit uinctos congruo tempore.

Tertium officium Messie uictoris, liberare uin-  
ctos ex carcere peccati, legis, mortis, & diaboli, de  
qua liberatione Christus inquit, Si uos filius liberaue-  
rit, uere liberi eritis.

### Sed rebelles habitabunt siccitas tem.

Quartum officium est, quod hostes Euangelij  
punit. Est autem horribilis poena quam hic commemo-  
rat, quod rebelles & increduli Euangelio, in magnis  
terroribus sunt sine ulla consolatione. Contēnunt enim  
Euangelium fontem aquæ uiuæ salientis in uitam eter-  
nam, Ioan. 4. Ita Saul, Iudas & similes habitant in  
arida terra, seu in siccitate, hoc est, oppressi terrori-  
bus, non habent quo se erigant & sustentent, cum sint  
sine fide & hostes uerbi Dei, ideo ruunt in despera-  
tionem & interitum.

Hactenus regis uictoris personam & eius offi-  
cia descripsit: Nunc subijcit narrationem.

Deus



## NARRATIO.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, Sela.

Terra mota est, & coeli destillaerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei, Dei Israël.

*Hæc narratio constat ex antithesi: Confert enim legem cum doctrina Euangelij. Initio autem hic obseruandum est, filium Dei semper fuisse ducem & custodem Ecclesie Dei, quod & Ireneus lib. 4. cap. 14. affirmat dicens: Ab initio assistens filius suo plasmati, reuelat omnibus patrem &c. Ita & hoc loco ait, Deum, hoc est, filium Dei promissum Messiam, fuisse cum populo, cum educeretur ex Aegypto, & fuisse custodem eius in deserto.*

*Hic enim est qui Mosen infantem in aquis expositum seruauit: Qui deinde ei in ardenti rubo locutus est: Qui ei de educendo ex Aegypto populum mandatum dedit. Hic est cuius uirtute tot & tanta miracula coram Pharaone Moses & Aaron ediderunt. Hic est qui populum in columna nubis & ignis præcessit: Qui currus & exercitum Pharaonis in mari rubro euertit: Qui in Sinai legem dedit cum ceremonijs, qui politiam instituit, qui manna, cothurnices, qui aquam ex petra percussa salientem, populo dedit, sicuti i. Cor. 10. inquit Paulus, Bibebant de spiritali, quæ illos comitabatur*



mitabatur petra, Petra autem erat CHRISTVS.

Hæc obseruanda sunt contra Ebionem & similes, qui negant Christum antea fuisse, quam ex Maria uirgine nasceretur.

Secundo obseruanda est hic quoq; collatio Legis & Euangelij, in qua utriusq; doctrinae effectus describuntur.

Lex igitur est doctrina, lumen seu regula in creatione, homini ad imaginem Dei condito, diuinitus impressa, ostendens quales nos esse, conformes nempe Deo & ipsius uoluntati in lege reuelata, quæ item facere, quæue omittere oporteat, requirens perfectam, & interiorem & exteriorem obedientiam, & damnans omnes qui eam non præstant.

Quanquam autem per lapsum hominis hæc lux multum sit obscurata, tamen manserunt reliqui aliqui radij, quibus & Deum esse scimus, ac quidem talem, qui iusta postulet, & iniusta damnet & puniat, & quibus radijs illuminati, ipsi iusta ab iniustis discernimus.

Quia uero magna potentia diaboli est, obscuratis hanc reliquam lucem in natura humana corrupta, & impellentis homines, ut contra hanc normam congruentem cum mente diuina ruant: Ideo Deus uocem legis, quanquam in creatione iam antea in cordibus hominum scriptam, in certo populo & loco, unde ad cæteras gentes, per totum terrarum orbem spargere-

tur,



tur, ingentibus miraculis rursus publice promulgari,  
& in certis sacris tabulis scribi, & eius uocem in ge-  
nere humano conseruari uoluit, ut esset certum testi-  
monium iudicij diuini contra peccatum.

Vt igitur totum genus humanum sciat, Deum or-  
disse, damnare & punire peccata, tum presentibus  
pœnis in hac uita, tum æternis in altera: Ideo tam hor-  
ribili specie in monte Sinai uox Legis promulgatur.  
Cacumen montis, in quod Deus descendit, ardet incen-  
dio, totus mons mouetur, & ex eo ascendit fumus  
quasi ex fornace, auditur horribilis sonitus buccinae,  
audiuntur tonitrua, uidentur fulgura &c.

Hac horribili specie populus conterritus, inquit,  
Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, lo-  
quere tu nobis & audiemus. Sed Moses ostendit cur  
hoc modo legis promulgatio fiat, Deus uenit (inquit)  
ut terror illius esset in uobis, & non peccaretis.

Hinc apparet, quod sit officium & qui effectus  
Legis, non ut iustitiæ & uitæ, sed (sicuti Paulus 2.  
Corinth. 3. uocat) mortis ministerium sit.

Sicuti autem Lex quinquagesima die post exitum  
ex Aegypto data est, et doctrina illa cum ceremonijs,  
& tota politia Mosaica conseruata est, usque ad re-  
surrectionem Domini nostri Iesu Christi, annos mil-  
le,



le, quingentos & quadraginta duos: Ita quinquage-  
sima die post resurrectionem Liberatoris nostri, ante  
annos 1516. in Apostolos effusus est Spiritus san-  
ctus, per quos postea iuxta preceptum Christi &  
Prophetias aditas Esa. 2. & Michea 4. alia Lex,  
hoc est, doctrina Euangelij, non ex Sinai, sed ex mon-  
te Sionio, neque terribili specie ut prior Legis doctri-  
na, sed placide in orbem terrarum, tanquam pluuia ad  
corda arida & afflicta recreanda sparsa est: Sicuti  
hic uocem Euangelij largissimæ pluuie comparat,  
& eam Legi opponit, quæ cum daretur terra mota  
est ac tremuit, hoc est, expauescunt corda, ostenso per  
Legem peccato, & ira Dei aduersus peccatum, sed  
eadem recreantur terrore Legis arefacta & pauesa-  
ta, cum in ea, pluuia Euangelij, annunciantes gra-  
tiam & remissionem peccatorum gratuitam pro  
pter Christum Mediatorem, effunditur.

Ideo Sic inquit Pro-  
pheta.

DE





DE SPIRITV SANCTO  
& Euangelio donando.

Pluuiam largam effundis Deus,  
hereditatem tuam laborantem, tu  
recreas.

Animalia tua habitabunt in ea,  
recreas bonitate tua afflictum De  
US ♣

*Est igitur hæc prophetia, de Spiritu sancto mit-  
tendo, & de larga & liberali pluuiâ Euangelij per  
totum terrarum orbem spargenda.*

*Obseruabis autem hoc loco dulcissimam descri-  
ptionem Ecclesiæ & Euangelij. Ecclesiam uocat hæ-  
reditatem Dei, sicuti & Psalmo secundo dicitur: Po-  
stula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, &  
possessionem tuam terminos terræ: Hanc comparat  
uirenti prato & horto amœnissimo, ornato omnis ge-  
neris floribus pulcherrimis & fragrantissimis, qui  
flores in credentibus, tanquam plantulis, sunt uaria  
Spiritus sancti dona, quæ Christi bonus odor sunt  
Deo, ut 2. Corinth. 2. dicitur.*

*In hoc uiridi & amœno prato seu horto, Eccle-  
sia Dei, uarij generis animantia pascuntur, Medi,  
Elamitæ, Iudæi, Græci, Cretes, Arabes, hoc est, om-  
nium nationum populi: sed interdum fit ut ex ingenti  
æstu, hoc est, sensu iræ Dei, & alijs ærumnis ac tenta-  
tionibus*



tionibus spiritualibus seu corporalibus, & herbae & flores, & ipsa animantia, quae in hoc prato pascuntur, exarascere & tanquam emori incipiant: Vnde illae querelae in Psalmis sunt, Defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut torris adusta sunt, percussus est cor meum & ut foenum exaruit &c.

Quia uero horum animantium, quae in hoc prato Ecclesiae pascuntur, pastor est Christus, qui ita oves audientes suam uocem diligit, ut pro eis animam suam det, & qui ideo eas pascit, ne pereant in aeternum, & ne quis eas ex manibus eius rapiat, & ut uitam aeternam det eis: Ideo hic pastor, sedens ad dextram patris, de caelo ex sinu aeterni patris, pluuiam **נְבוֹנָה** uoluntariam, spontaneam, largam, munificam, & liberalem in hanc hereditatem, suam Ecclesiam, in credentium corda arefacta & contrita effundit, quae est ipsa Euangelij uox, annuncians ex sola liberalitate, munificentia (id quod uox Hebraica quoque significat) ex sola misericordia Dei, gratis sine nostris meritis, propter filium Mediatorem, nobis remitti peccata, nos recipi & saluari, & Deum non abijcere eos, qui peccata sua agnoscant, & horrendam iram ipsius contra peccata sentiant, sed Spiritum contritum esse gratum sacrificium Deo, ut Psalmo 51. inquit, & Esa. cap. 57. ait: Deum habitare cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, ut uiuificet cor contritorum.

D

Hac



Hac pluuia, in hoc pratum Ecclesiam, effusa, re-  
creantur & uiuificantur herbae, sata, flores, arbores  
& omnia pascentia animantia, hoc est, ubi corda fide  
imbiberunt hunc coelestem rorem & imbrem, concipiunt  
pacem & letitiam cum Deo, per Dominum nostrum  
Iesum Christum, Rom. 5. Ita pulcherrima similitudine  
depingitur Ecclesia & uox Euangelij cum ipsius effectu,  
qua similitudine scriptura saepe utitur, ut Deut. 32. Stillet  
ut pluuia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi  
imber super herbam, & quasi stilla super gramina, Esa. 55.  
Quomodo descendit imber & nix de caelo, & illuc ultra non  
reuertitur, sed inebriat terram, & eam foecundat, & germinare  
facit eam &c. Sic erit uerbum meum quod egredietur de ore  
meo, non reuertetur ad me uacuum &c. Psalm. 23. Dominus  
pastor meus, nihil mihi deerit. In loco pascuae meae collocauit,  
super aquam refectionis deduxit me, animam meam recreauit.  
Sequitur in Psalmo.

## DE PROPAGATIONE ne Euangelij.

**Dominus dabit uerbum, cum magno exercitu Euangelistarum.**

Diligenter hoc in Psalmorum & Prophetarum  
lectione obseruandum est, saepe ea quae antea figurate  
dicta



dicta sunt, postea planis & simplicibus uerbis exponi  
& repeti solent. Ita hoc loco quæ de propagatione  
Euangelij ante figurate per pluuiam largam significa-  
uit, hoc loco perspicuis uerbis exponit, Dominum datu-  
rum uerbum cum magno exercitu Euangelistarum,  
quæ etiam historia propagati Euangelij ostendit.

Initio doctrina Euangelij per filium Dei duode-  
cim Apostolis tanquam ducibus exercituum Euange-  
listarum commissa est: sed lux doctrinæ per Spiritum  
sanctum in Sionio monte, & Hierosolymis accensa,  
primum per Apostolos, ut duces, & postea simul per  
ipsorum discipulos, late per totum terrarum orbem  
est sparsa, & idolomania, quæ omnia ubique tenebat,  
ab his ducibus & exercitibus Euangelistarum deui-  
cta & euersa, subiugata est uictori Christo.

Hi uero duces, cum essent pugnaturo per totum  
terrarum orbem contra diabolum & idola, ita scribuntur  
inter sese partiti prouincias, et exercitus suos, docetes  
Euangelium Christi, duxisse.

Duces præcipui inter Apostolos fuerunt Petrus  
& Paulus, quorum hic copias suas aduersus gentes,  
alter contra circumcisionem, hoc est, Iudæos dixit.

Initium belli Hierosolymis, tanquam ab arce, &  
in populo Iudaico, cui datæ erant promissiones, sub-  
iungendo coeptum est.



In prima pugna eo die quo Spiritus sanctus effusus est in Apostolos, circiter tria hominum millia, Hierosolymis à solo Petro, uirtute Spiritus sancti eum armantis, deuicta & Christo subiugata sunt.

Postea huius belli incendium subinde & in Hierosolymis & in uicinis locis, urbibus & regionibus, uidelicet, Samaria, Galilæa, Syria, Damasco, & Gaza, Lydda, Saron, Ioppe, Cæsarea, latius serpsit, quæ loca & populi, solius ferè Petri uoce oppugnata, cum ingenti hominum multitudine Christo colla submiserunt.

In prima autem persecutione, quæ contra hos duces Christi & signiferos Euangelij, Stephano lapidibus obruto, à diabolo, pontificibus, scribis et pharisæis excitata est, facta inter eos dispersione. Viderunt horum signa & Phoenices, Cyprij & Antiocheni, sed eo tempore iuxta mandatum summi Imperatoris filij Dei, huius belli classicum tantum inter Iudeos canebatur.

Postea cum per quosdam Cyprios & Cyreneos, Apostolorum commilitones, Antiochie Syriæ, in publico, Euangelij tuba inflata exaudiretur, concurrerunt ad ea signa & Græci, & aliarum nationum populi, & præcipue per Barnabæ uocem, quem Apostoli ex Hierosolymis miserant, ingens multitudo Iudeorum & gentium conuersa, Christo nomina dedit. Inde Barnabas profectus Tharsum, Paulum συσσάτης

Ἰου



Yop sibi adiunxit, qui redeuntes Antiochiam Syriae, totum annum in ea urbe subiuganda statua habuerunt, quibus tantae copiae sese coniunxerunt, ut ibi primum militibus & exercitui Christi, nomen Christianorum imponeretur.

Eo tempore cum magna fames esset, collectas eleemosynas passim, Paulus & Barnabas pertulerunt Hierosolymam. Haec prima Pauli expeditio fuit. Breuiter enim huius ducis curriculum primum describemus.

Secunda expeditio Pauli est, qua ex Hierosolymis cum Barnaba suas copias iterum Antiochiam duxit, ac inde per Seleuciam, Cyprum, Salaminem, Paphum, Pergen Pamphiliae, Antiochiam Pisidiae, Iconium, Lystram & Derben, Lycaoniae urbes, per Ataliam, unde reuersi sunt rursus in Antiochiam Syriae, ubi orta controuersia de Lege Moisi seruanda, profecti sunt Hierosolymam, ut caeterorum Apostolorum sententias de hac disceptatione audirent, quae facta sunt post conuersionem Pauli anno 15.

Tertia expeditio Pauli fuit, in qua uexillum Euangelij circumtulit per Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Bithyniam, Troadem, & inde in Europam per Macedoniam & eius urbes, Samothracen, Neapolim, Philippos, Amphipolim, Apoloniam, Thessalonicam, Berream, in qua expeditione Silam & Timotheum συσσητιώτας coniunctos habuit. Inde per





mare uectus uenit Athenas, unde profectus est Corin-  
thum, in qua urbe idolatriæ, luxui & uoluptatibus  
dedita, ut se Christo dederet, subiuganda, fere bienni-  
um consumpsit. Ex Achaia in Syriam rursus moturus  
sua castra, ut subditos in officio retineret, uenit Cen-  
chreas, unde in Asiam soluens, delatus est in Ephe-  
sum, quo in loco relictis Aquila & eius uxore Priscil-  
la & Timotheo, iussis ut se ibi expectarent, ipse ad  
Pentecosten Hierosolymam profectus est.

Quartam expeditionem ex Hierosolymis mo-  
uens, aliquas prouincias & urbes Christo subiugatas,  
ne rursus deficerent adire & confirmare statuit. Fecit  
igitur iter per Cæsaream, Antiochiam, Galatiam, un-  
de Ephesum ad suos commilitones redijt, in qua urbe  
opibus & potentia florentissima, in qua Dianæ tem-  
plum in toto orbe terrarum celeberrimum erat, deuin-  
cenda, totum triennium commoratus est. Inde redijt in  
Europam, iterum perlustrans Nicopolim, Corinthū,  
unde reuersus est Philippos, unde rursus in Asiam  
Troadem redijt: Inde iter fecit per Asson, Lesbon In-  
sulam, Mitylenem, Chion Trogilios, Miletum, Coon,  
Rhodon, Pateras Ciliciæ, unde in Syriam rursus tra-  
ijciens uenit Tyrum, postea Ptolemaidem, inde Cæ-  
saream, tandem Hierosolymam, iterum ad Penteco-  
stes festum.

Postrema Pauli ex Hierosolymis expeditio fuit,

ubi



ubi captiuus Romam perductus, biennio ibi Euange-  
lium docens, magnam hominum multitudinem in ur-  
be celeberrima ipse uinctus ex uinculis peccati, mortis  
& diaboli, in libertatem Christi asseruit, quem tan-  
dem liberatum ex Neronis uinculis, Italiam, Galliam,  
Hispaniam quoque Christo subiugasse, & inde Ro-  
mam reuersum, a Nerone anno eius Imperij 12. postq̄  
Euangelium 35. annis docuisset, interfectum esse re-  
fert Epiphanius lib. 1. contra Carpocratitas.

Ita clarissimus dux Paulus, cuius auspicio & du-  
ctu & uoce, magna orbis terrarum pars, Christo sub-  
iugata est, a crudeli bestia Leone Nerone laniatur.  
Sicuti & S. Petrus Apostolus ab hac fera affixus  
cruci refertur. Post illas enim urbes, quarum supra  
facta est mentio, a Petro expugnatas, profectus est  
cum suis copijs, sicuti ipse refert per Pontum, Galla-  
tiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam, & tan-  
dem cum Romam uenisset interfectus est a Nerone.  
Hic fuit cursus horum duorum ducum Christi. Cete-  
ri uero Apostoli, ita inter sese prouincias partiti scri-  
buntur.

Andream fratrem Petri refert S. Hieronymus  
per Euangelij tubam deuicisse, Scythas, Sogdianos,  
& Sacas, & ceteras finitimas orientis natio-  
nes. Alij affirmant in Achaiam quoque uenisse



Et ab Egea proconsule Romano, ad Patras urbem, sustibus casum, et tandem alligatum biduo cruci, extinctum esse, cum antea ita uinctus in cruce pendens, et Euangelium docens, uiginti hominum milia Christo subiugasset.

Quartus dux exercitus Euangelistarum Dei, fuit Iacobus Iustus frater domini, qui Hierosolymitanae Ecclesiae, tanquam arci, unde in reliquos populos orbis terrarum, uox Euangelij sparsa est, annis triginta praefuit, et mandato filij Annae, qui tum summus pontifex erat, praecipitatus de pinna templi, lapidibus obrutus, fullonis fuste occisus est. Post hunc Episcopus Hierosolymis fuit Simeon Cleophae filius, cui Iustus successit, et deinde ordine alij.

Iacobus Zebedei filius, frater Ioannis Euangelistae, docuit Euangelium eas tribus, quae in dispersione erant, ut refert Hieronymus. Hic cum Euangelium circiter duodecim annos docuisset, interfectus est ab Herode Agrippa, ut refert Lucas, Act. 12.

Hos sequuntur deinde alij Apostoli, duces exercituum Dei, quorum Mattheus Aethiopiam, Bartolomeus Indiam, Matthias alteram Aethiopiam, ubi est irruptio Apsari et Hysi portus, Philippus Phrygiam, Thomas uero Parthos, Medos, Persas, Germanos, Hyrcanos, Bactros et Magos, sub Christi iugum domuisse scribuntur.

Ioannes



Ioannes uero Euangelista Ephesi & uicinarum  
Ecclesiarum Episcopus fuit, & uixit usq; ad tempo-  
ra Traiani, annos post Christum resuscitatum 68.

Hi sunt precipui duces exercituum Dei, qui plu-  
rimos *συσματῶν* habent, discipulos nempe, qui ar-  
tes belli, hoc est, Euangelij doctrinam ab eis percipien-  
tes, deinde ad alias prouincias, uel subiugandas, uel  
subactas regendas, & in officio retinendas, tanquam  
praefecti prouincijs impositi, ab Apostolis missi sunt,  
quorum in Actis & Pauli & Petri Epistolis saepe fit  
mentio.

Inter hos primi fuerunt Barnabas, et Simon qui  
Niger dicebatur, Lucius Cyreneus, & Manahen,  
Iudas Barsabas, & Syllas: inter quos Lucius Cyre-  
neus primum ad Danubium in Augusta Tiberina, q̄  
hoc tempore Ratisbonam uocant, Marcum autem  
Pauli discipulum in Passau oppido quoq; ad Danu-  
bium sito: Crescens Moguntiae & in Gallijs, Clemens  
Meti, Trophimus Anelati, Nathanaël in Gallia apud  
Bituriges seu Treuiros, Lazarus Massiliae, Ioseph ab  
Arimathia in Britannia Euangelium docuisse scribun-  
tur.

Lucam qui ex Pauli Apostoli, & ceterorum re-  
latione Euangelium scripsit, refert Hieronymus uixis-  
se annos 84. & sepultum Constantinopoli.

Marcus qui ex Petri ore Euangelium scripsit,  
praefuit Ecclesiae Alexandrinae in Aegypto, & ibi-



dem anno Neronis 8. mortuus est: docuit igitur Euangelium post Ascensionem Christi in caelos, annos circiter 33.

Episcoporum, qui tanquam praefecti prouincijs & urbibus subiugatis ab Apostolis impositi sunt, magna sunt certa serie agmina, ut Timotheus Ephesi, Titus Cretae episcopus fuit. Hinc sunt quorum in Actis & in Epistolis Pauli fit mentio, Apollos, Aristarchus, Caius Derbeus, Iason, Erastus, Sospiter, Tichicus, Secundus, Tertius, Quartus, Syluanus, Sosthenes, Epaphras, Iesus Iustus, Demas, Archippus Collossensium Episcopus, Eubulus, Pudens, Li-reus, Artemas, Zenas & Dionysius Areopagita, Episcopus Ecclesiae quae Athenis collecta erat.

Item Ignatius Antiochia, Polycarpus Smyrnae, cum his uixerunt, Papias, Aristion, Aristides, Quadratus & quidem alij.

Postea autem continua serie & successione, alij alijs passim in Ecclesijs, iam per totum terrarum orbem sparsis, ordine successerunt, & omnibus aetatibus succedent.

Hi sunt exercitus Euangelistarum quibus filius Dei sedens ad dextram patris aduersus diabolum bellum gerit. Ita & Canticorum cap. 6. Ecclesia exercitui comparatur, cum ait, Terribilis ut castrorum acies ordinata. Sunt enim haec castrorum acies terribiles diabolis, ad quorum conspectum fugantur. Sequitur in Psalmo. Reges



**Reges exercituum dilecti, dilecti,  
& pulchritudo domus diuidet spolia.**

Ad rem in bello feliciter gerendam, nihil tam necessarium est, quam ipsorum ducum inter se concordia, qua res paruae, ut illae ait, crescunt, discordia uero magnae dilabuntur. Ostendit igitur inter hos reges & duces populi Dei, Prophetas, Apostolos, Pastores & Doctores, esse summam animorum coniunctionem, summum consensum in doctrina Dei, qua regnum diaboli oppugnant & destruunt, quem ut inter se tueantur, Paulus Ephes. 4. hos reges hortatur, cum ait, Studete seruare unitatem spiritus per uinculum pacis, unum corpus & unus spiritus &c.

Cæterum, quia in domo ornamentum omnium pulcherrimum est, pia, honesta, casta & prudens uxor: Ideo Ecclesiam in domo Dei matrem familias, uocat hic ornamentum domus, sicuti & Germani uxorem, eo nomine appellare solent, die Haus ehr. Hæc diuidit spolia detracta hostibus, id est, homines liberatos ex regno tenebrarum, transfert in regnum lucis filij Dei.

**Cum castrametamini (eritis sicut)  
alæ columbæ, cuius pennæ argento &  
auro rutilante coopertæ sunt.**

Pergit



aciei comparat. Sicuti autem terribilis est aspectus  
aciei, cum arma militum splendente sole ita fulgent &  
radiant, ut intuentium oculos perstringant, & ter-  
rorem incutiant: ita & Ecclesie arma non sunt carna-  
lia, sed ualida per Deum ad destruendas munitiones,  
& omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus Dei  
cognitionem, ut 2. Corinth. 10. dicitur. Quæ armatu-  
ra tota Ephes. 6. descripta est, quæ cincti & induti,  
etiam diaboli ignita tela extinguere possunt. Sunt  
autem hæc arma, quorum conspectu diaboli terren-  
tur, ueritas, iusticia, calcei Euangelij, scutum fidei, Ga-  
lea salutis, spes & gladius uerbi Dei & ardens inuo-  
catio Dei.

Obseruabis autem Ecclesiã columbis hic confer-  
ri: Vere enim Ecclesia in hoc mundo, inter potentes,  
reges, principes, tyrannos & impiam multitudinem  
collocata, id est, quod inter accipitres, miluos & uul-  
tutes columba, à quibus miserrime exagitur & la-  
ceratur.

Sed tamen alas & pennas, tanquam aurum &  
argentum rutilantes, hoc est, huius columbæ strepi-  
tus, sonos, uocem & scripta, metuunt diaboli & eius  
organa tyranni, & impia multitudo: & quanquam  
aliquæ columbæ ab his uulturibus lacerentur, tamen  
maior pars, Deo custode, & uulturibus repressis &  
tandem strangulatis, sua pernecitate euadunt saluæ  
& incolumes, & illis ipsis quæ discriptæ sunt, eter-  
na



na uita & leticia restituitur, iuxta illud: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Deinde pulchrè quoque ministerium uerbi hoc loco per columbas depingitur. Hæ enim columbæ, quarum mira in uolando pernicitas est, sunt Apostoli, qui ex arca Ecclesiæ, quæ tum Hierosolymis, tanquàm in Arca collecta fuit, emissi, pernici uolatu per totum terrarum orbem, dulcissimum & lenissimum Oliuæ, hoc est, Euangelij ramum, circumtulerunt, & passim in regionibus & urbibus has oleas plantarunt. Ita & Esaias cap. 60. de his columbis, Apostolis & ministris uerbi suauissime concionatur, cum ait: Qui sunt isti, qui ut nubes uolant, & quasi columbæ ad fenestras suas? quæ fenestræ sunt Ecclesiastici coetus, quibus ministri tanquam columbæ pullis incubantes, eos fouent, donec exclusi iam, & plumæ facti, crescant in mensuram ætatis plenæ adultæ Christi, ut non amplius sint pueri, qui fluctuent & circumferantur quouis uento doctrinæ &c. Ephes. 4.

Cum constituit omnipotens reges super eam, sicut nix dealbabuntur tenebræ.

Hæc est Prophetia de Ecclesiarum perpetuitate & conseruatione. Neq; enim tantum in orbe terrarum per duces Apostolos prouinciæ & urbes euer-  
sis gen-



sis gentium idolis, sunt subiugatae Christo, sed ut Ec-  
clesiae sint perpetuae & maneant saluae, imponuntur  
singulis Reges, hoc est, Episcopi et pastores, quorum  
ministerio puritas doctrinae conseruetur, et subditi in  
officio retineantur. Vbi autem tales reges gubernaculis  
latent, ibi necesse est tenebras impiorum dogma-  
tum, cedere luci Euangelij: Ideo ait, sicuti nix dealba-  
buntur tenebrae, & eo nomine missus est filius Dei,  
ut ipse lux uera, in hunc mundum, tanquam in tene-  
bras, ubi nulla ueri Dei cognitio est, ueniens, illumi-  
net omnem hominem credentem Euangelio. De hoc  
lumine & Esaias cap. 60. concionatur cum ait, Sur-  
ge illuminare, quia uenit lumen tuum, & gloria Do-  
mini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient  
terram & caligo populos, super te autem orietur do-  
minus & c.

Vbi enim sol Euangelij non lucet, ibi homines  
in tenebris & in umbra mortis sedent, non norunt  
Deum, non recte inuocant, sunt sine fide, sine uero ti-  
more & amore, sine ueris cultibus Dei, ut est cernere  
in gentibus, qui uaria numina commenti sunt: Et po-  
pulus Israël lucernam uerbi sibi accensam contem-  
nens, in eas tenebras lapsus est, ut adoraret militiam  
coeli, Baal, Astaroth & reliquos gentium Deos.

Similiter & hoc tempore in tenebris sedent ij,  
qui lucem Euangelij aut contemnunt aut extinctam  
uolunt.



uolunt, qui loco ueri & aeterni Dei, mortuorum san-  
ctorum statuas colunt, & ad eas uota faciunt, illis  
donaria offerunt, qui mortuos homines inuocant, qui  
in Missa oblationes pro uiuis et mortuis faciunt & c.

Est autem in hoc uersu & illud obseruandum,  
quod ait: Cum constituit omnipotens reges super  
eam, quo ostendit ministerium uerbi, non humanis con-  
silijs aut praesidijs, sed diuinitus & institutum, &  
perpetuo conseruari. Ideo rogandus est  $\text{יהוה}$  om-  
nipotens, quae uox hic ponitur, sicuti Christus prae-  
cipit, ut ipse extrudat operarios in messem suam, &  
ministerium contra diaboli et impiorum furores seruet.

**Mons Dei, mons pinguis, mons  
excelsus, mons pinguis.**

In uersibus prioribus contulit Ecclesiam exerci-  
tui castrametanti & belligeranti. Hic eam foecundo,  
fertili & excelso monti comparat, quales collationes  
plurimas & in alijs Prophetarum locis inuenias, ubi  
monti confertur Ecclesia, ut Esa. 2. Michea 4. Da-  
nielis 2.

Hic uero mons non dicitur Horeb a siccitate,  
neq; Sina ab inimicitia, in quo monte lex Dei data  
est, quod est Chirographon contrarium nobis per de-  
creta, ut Paulus ad Colossenses inquit: Sed est mons  
pinguis,



pinguis, melle & lacte gratia & bonitatis Dei exuberantis peccatum fluens, abundans omnibus benedictionibus corporalibus & spiritualibus, qualis fertilitas Ecclesie noui Testamenti & Psalm. 72. describitur: Et erit copia frumenti in terra, in uertice montium mouebitur sicut libanus fructus eius, & florebunt in ciuitate sicut herba terræ.

Quia uero alij montes, Ecclesie gentium, Iudeorum, Politie, regna & imperia mundi, quæ uiribus & potentia præstant, hunc montem oppugnare & complanare conabuntur, ideo acriter in sequenti uersu tales obiurgat, & persecutoribus certum exitium prædicit, cum ait:

**Vt quid exultatis montes excelsi?  
Hic est mons in quo beneplacitum est  
Deo habitare, etenim DOMINVS ha-  
bitabit in æternum.**

Immensum & inenarrabile odium diaboli est aduersus filium Dei & Ecclesiam, ideo omnibus ætatibus regna & imperia mundi accendit, ad opprimendam & delendam Ecclesiam. de qua persecutione etiam Psalmus 2. conqueritur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius.

Prædi



Prædicunt igitur Prophetæ futurum, ut cateri montes, reges & principes, sese huic monti, Ecclesiæ Dei, opponant, & eum opprimere conentur, quales fuerunt Pharao, Senacherib, Nabuchodonosor, Herodes, Pilatus, Annas, Caiphas, Scriba, Pharisei, Nero, Domicianus & alij tyranni. Deinde hæretici, Cherinthus, Arius, Manicheus, Romanus Pontifex, Mahometes & tales plurimi. Sed lapis de monte sine manibus abscissus, Christus Iesus filius Dei, comminuit & conterit hos omnes montes, hostes suos, & cum Ecclesia sua in excelsum montem crescit, ut uniuersam terram impleat.

Proposita est igitur hoc loco consolatio Ecclesiæ, ne pij despondeant animos, ubi uiderint furores & sæuitiam caterorum montium & regnorum mundi insurgentium aduersus Ecclesiam, montem & regnum Christi, scire ut illis euersis & attritis, salua maneat Ecclesia: ait enim, hic est mons, in quo beneplacitum est Deo habitare, etenim dominus habitabit in æternum. Cum igitur Ecclesia sit sedes & habitatio Dei, ergo erit perpetua, et ne quidem inferorum portæ præualebunt aduersus eam.

Cæterum, quia hætenus bella & pugnas Christi & Ecclesiæ descripsit, ideo in sequentibus duobus uersibus uictorias & triumphos subijcit.

E DE



**DE ASCENSIONE,  
Triumpho & uictorijs  
Christi.**

**Currus Dei millies mille, Domi-  
nus in eis in Sinai sancto.**

**Ascendisti in altum, cepisti captiui-  
tatem, accepisti dona in hominibus,  
etiam rebellibus ut inhabitet D O M I-  
N U S Deus.**

*Hec est Prophetia de resurrectione & ascensio-  
ne Christi triumphatoris in coelos, quam Propheta  
Dauid ante mille annos futuram in Spiritu & præ-  
uidit & prædixit.*

*Notæ autem sunt phrasæ & figura horum uer-  
sum, & aliquot postea sequentium, quæ à more &  
ritu triumphantium sumptæ sunt, de quo alibi & Co-  
lofs. 2. dictum est, qui locus cum hoc concordat, &  
ex hoc sumptus esse uidetur: Cum ait Paulus, Expo-  
liatos principatus ac potestates ostentauit palam,  
triumphans de illis per semetipsum. Et Ephes. 4.  
Paulus hos Psalmi uersus citat & interpretatur.*

*Quia uerò supra instituit collationem Legis,  
quæ in Sinai monte data est, & Euangelij quod in  
monte Sion in die Pentecostes Spiritu sancto in Apo-  
stolos*



stolos effuso reuelatum est, ideo hoc loco ad eam col-  
lationem redit à qua antea digressus est.

Posteaquam populus ex Aegypto liberatus, &  
Pharao cum toto exercitu, sola diuina potentia aquis  
obrutus & deletus est, celebratur triumphus de hoc  
populo ex seruitute & oppressione Aegyptiorum li-  
berato, & hoste Pharaone deuicto ab ipso Deo uicto-  
re in monte Sinai, de quo supra ex capit. 19. & 20.  
Exodi audiuius: Et Deut. 33. ita refert Moses, Do-  
minus de Sinai uenit, & de Seir ortus est nobis, appa-  
ruit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.

Ita cum iam per Christum filium Dei, deletum  
peccatum, absorpta mors, destructus & deuictus is  
sit, qui mortis habebat imperium diabolus, uehitur hic  
uictor & triumphator filius Dei in curru triumphali,  
nempe in uoce Euangelij, ab eo tempore quo edita  
est promissio, Ipsum semen mulieris conteret caput  
serpentis, sed in certo populo, in semine Abrahae, cui  
datae erant promissiones: nunc autem post ascensio-  
nem in caelos, & Spiritum sanctum in die Pentecostes  
effusum in Apostolos, uehitur per totum terrarum or-  
bem, & tubicines Euangelij, Apostoli, Euangelistae,  
Episcopi, Pastores, & Doctores praecedentes hunc  
currum triumphalem, sua uoce & cantu dulcissimo,  
omnes spectatores huius triumphi, inuitant ad hunc ui-  
ctorem peccati mortis & diaboli cognoscendum &



celebrandum, cum quibus coniuncti sunt currus Dei  
millies mille, hoc est, tota Ecclesia ab initio usque ad  
finem mundi angelorum & hominum, qui una uoce  
hunc uictorem celebrant, & hoc triumphale carmen  
in omnem aeternitatem canunt, Sanctus, Sanctus,  
Sanctus Dominus Deus exercituum, Plena est omnis  
terra gloria eius, Esa. 6. Et Apocal. 4.

In hoc autem coetu ipsum celebrantium, dominus  
est, tanquam in Sinai sancto. Hic enim est mons, in  
quo beneplacitum est Deo habitare, & in eo ha-  
bitabit Dominus in aeternum.

Ita in priori uersu pompam triumphalem &  
ipsam Ecclesiam describit, in qua hic triumphus cele-  
bratur: in altero uero uersu ostendit ipsos effectus &  
fructus uictoriae & triumphis uictoris Christi.

Et primum quidem hic pugna Christi conside-  
randa est, & cum quibus hostibus sit congressus.  
Sunt autem generis humani hostes capitales hi, Pec-  
catum, Mors, Lex, Diabolus, & Infernus. Primum  
delet peccatum, dum ipse peccatum, hoc est, hostia pro  
pro peccatis humani generis fit, ut nos efficeremur  
iustitia Dei per illum 2. Corinth. 5.

Deinde deleto peccato exarmata est mors, cuius  
aculeus est peccatum, quod quanquam adhuc car-  
ni



ni inhaereat, & totum nondum sit sublatum, tamen  
credentibus in Christum non imputatur iuxta illud,  
Rom. 8. Nulla igitur condemnatio ijs qui in Christo  
Iesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed se-  
cundum spiritum.

Tertio, deletur etiam legis Chirographon,  
(Coloss. 2.) quod erat contrarium nobis, quo accusa-  
bamur & damnabamur, dum illud affixum cruci su-  
stulit e medio, hoc est, dum Christus ipse maledictum  
legis pro nobis factus est, quam maledictionem nos  
sustinere oportebat.

Quarto, quia uero per Christum iam peccatum  
sublatum, destructa mors, & deletum est Chirogra-  
phon legis, quæ ipsius diaboli contra nos uires & ar-  
ma sunt: Ideo iam caput serpentis contritum, & dia-  
boli hostis Dei & generis humani potentia destru-  
cta & fracta est.

Quinto, quia infernus tantum eos deuorat, qui sub  
peccatis, sub morte, sub ira Dei & diaboli tyrannide  
sunt, hæc autem iam per ipsum omnia sunt deleta &  
deuicta, ideo & hic uictor descendit ad inferos, ut ex  
illis carceribus inclusos redimat, & illos captiuos  
per se iam liberatos, triumphans secum in altum, hoc  
est, in caelos ducat.



Vt igitur toti mortalium generi certum & con-  
spicuum fiat, ipsum quanquam uere mortuum & se-  
pultum, non esse à morte absorptum, sed diuina poten-  
tia esse uictorem mortis, peccati, legis, diaboli & in-  
ferorum, ideo solutis doloribus mortis, tertio die ui-  
ctor & triumphator resurgit, ac plurimos ex mortis  
uinculis & terræ pulueribus, secum simul exuscitat,  
qui multis pijs in urbe Hierosolyma comparuerunt,  
& quadraginta dies continuos post resurrectionem,  
se suis discipulis, & magnæ multitudini (uisus enim  
est plus quam quingentis fratribus simul) uictorem  
ostentans, quadragesima tandem die, gloriosissimo  
& pulcherrimo triumpho, circumseptus millies mille  
curribus Dei, innumerabili militia & exercitu san-  
ctorum Angelorum, ducens secum illud sanctorum pa-  
trum agmen, quos ex morte ad æternam uitam & glo-  
riam resurgens excitauerat, in conspectu discipulo-  
rum tollitur in altum, & euehitur in coelum, & hic  
tantus rex & triumphator, collocatur ad dexteram  
Dei patris, & ei subiiciuntur omnia, sicuti & 1. Pet.  
3. scriptum est, Christus est in dextera Dei, profectus  
in coelum, subiectis ipsi angelis et potestatibus & uir-  
tutibus: Et Coloss. 2. Expoliatos principatus & po-  
testates ostentauit palam, triumphans de illis per se-  
metipsum. Hoc est, quod hoc loco Propheta ait:  
Ascendisti in altum, hæc omnia ita futura, in spiritu  
multo ante præuidens.

Sequitur



Sequitur.

## Cepisti captiuitatem.

Captiuitas peccati, mortis, diaboli, legis & inferni, capta & destructa iam est per Christum uictorem, resurgentem ex morte, & de his triumphantem. Quare hi hostes ita per Christum fracti & capti, & suis armis ac uiribus exuti & spoliati, in ipsum credentibus, amplius non sunt metuendi. Sicuti inquit: Qui credit in me non uidebit mortem in aeternum. Item Ioan. 11. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet & c. Neq; enim sibi, qui cum Deus esset uinci non potuit, sed nobis hos hostes uicit, ut quos genus humanum suis uiribus uincere non poterat, nobis uictoriam pareret et donaret, sicuti 1. Cor. 15. ait Paulus: Deo gratia, quid dedit nobis uictoria per dominum nostrum Iesum Christum. Quare nemo quantumuis sanctus, huius triumphi gloriam in se transferat, de quo & alij Prophetae uaticinati sunt, ut Esa. 9. & Osee 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua o mors, Morsus tuus ero inferne.

Hic est praecipuus fructus & effectus in altum ascendentis & triumphantis Christi, quod cepit seu captiuam duxit captiuitatem nostram, in qua antea serui et captiui detinebamur. De qua liberatione Christus Io. 8. ait, Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis.



Cum quo effectu coniuncti sunt & hi sequentes, quod non suo nomine ascendit, ut isthic suauiter uiuat, sed ut sedeat ad dextram Dei patris, hoc est, ut occupet & teneat regnum aeternum, & ut sit caput Ecclesiae, ut suorum gemitus & preces exaudiat, eos iuuet & defendat, & pro eis apud patrem intercedat, ut sit pater & pontifex noster, & ut Ecclesiam & singula eius membra seruet & ad se colligat, sicuti dulcissimam promissionem Ioh. 10. Ecclesiae dedit, cum inquit: Oues meae uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Item Rom. 8. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.

Secundus effectus ascendentis in altum Christi est, quod per ipsum iam nobis quoque aditus ad coelum patefactus est, & quanquam hoc mortale corpus nostrum, in terrae pulueres, unde sumptum est, soluetur, tamen rursus ex morte excitabitur in caelos ad aeternam uitam & gloriam euehendum: Sicuti 1. Thes. 4. scriptum est, Ipse dominus cum hortatu & uoce Archangeli, ac tuba dei descendet de caelo, & mortui in Christo resurgent primum: Deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus



bus in occursum domino in aëra, & sic semper cum domino erimus.

Ascendit enim ut certa hospitia Ecclesiae & singulis membris pararet, sicuti Ioan. 14. ait: Non turbe- tur cor uestrum, In domo patris mei mansiones multae sunt, uado parare uobis locum & c. Item uolo, ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus.

### Accepisti dona in hominibus.

Nota est phrasis à triumphantibus sumpta, qui militibus & reliquae multitudini dona & munera di- stribuere solent. Ita Christus ascendens in altum, non sedet ociosus ad dextram patris, sed dat dona homini- bus, mittit Spiritum sanctum, qui per uocem Euange- lij & uerbi ministerium in orbe terrarum colligit Ec- clesiam, & eam sanctificat & regit, & quotidie ali- quos ad ueram Dei agnitionem regenerat, & in cre- dentibus nouam lucem accendit, ut incipiant obedire Deo. Deinde uarijs donis Ecclesiam ornat, ut est cha- ritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fi- des, mansuetudo, temperantia, patientia & c. Gal. 5.

Præterea sedens ad dexteram patris Christus, conseruat suum regnum & sacerdotium, cum alios dat Apostolos, alios Prophetas, deinde Doctores, Potestates, dona sanationum, subsidia gubernatio-

E 5 num,



num, genera linguarum, interpretationes sermonum,  
quæ Ephes. 4. & 1. Corin. 12. enumerantur.

Hoc uero loco breuiter etiam de descensu Christi dicendum est. Prius enim descendit, postea ascendit ad coelos. Descensus Christi, significat totam eius humiliationem, de qua ad Philip. 2. Paulus sic inquit: Is affectus sit in uobis qui fuit in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus est, & gestu inuentus, ut homo, Humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.

Hic descensus Christi de coelo, quod humanam carnem assumpsit, & propter peccata nostra mortuus est, primum donum est, quod per hanc Victimam iam placatus est pater, & quod propter hunc Mediatorem ita humiliatum, omnes credentes recipiuntur, & sunt filij & hæredes Dei. Ideo enim hic Dominus descendit de coelo, ideo se humiliavit & deiecit, ut nos ascenderemus ex terris ad coelos, & ut exaltaremur ad æternam uitam & gloriam.

Deinde eius decensus quoque exemplum est, ut & nos descendamus & humiliemur. Sicuti lauans pedes discipulorum ipse ait: Exemplum dedi uobis.  
Et



Et 1. Pe. 2. Christus passus est pro nobis, nobis reliquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Necesse enim est, nos prius in hac uita humiliari et descendere cum Christo, sustinere uarias aerumnas & miseras, priusquam exaltemur & ab ipso euehamur ad aeternam gloriam, ut Rom. 8. scriptum est. Si cum eo patimur, etiam cum illo glorificabimur. Et 1. Petr. 4. Si confortes estis afflictionum, gaudete, ut & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Et Prouerb. 15. Gloriam præcedit humilitas.

*Sequitur in uersu.*

### **Etiam rebellibus ut inhabitet Dominus Deus.**

Accepisti dona hominibus, his etiam qui te Deum non habuerunt, qui tibi rebelles fuerunt, hoc est, non tantum pro Iudæis, sed etiam pro gentibus, te Deum ignorantibus, in quibus quoque uis habitare. Ita etiam gentes, rebelles & hostes Euangelij Christi, tandem uicti, fiunt participes donorum & bonorum Christi. Est igitur Prophecia de conuersione gentium.

**DOCTRI-**



## DOCTRINA de Cruce.

Benedictus Dominus quotidie, o-  
nus imponit nobis Deus, & tamen sa-  
lus est nostra.

Deus noster Deus ad saluandum,  
& **DOMINVS** est Dominus ex morte  
educens.

*Digreditur hoc loco per quinque sequentes uersus  
à descriptione triumpho, & diluit obiectionem. Si  
Christus caput Ecclesie, est uictor & triumphator,  
sedens ad dexteram patris, cur igitur Ecclesiam finit  
adfligi? Cur eam non mox ornat aeterna iustitia, uita  
& gloria, cum hoc facere possit uictor & dominus  
rerum?*

*Subijcit igitur hic doctrinam de Cruce, & pro-  
ponit consolationem, Ecclesie & singulis pijs maxi-  
me necessariam, quam omnes qui premuntur aërum-  
nis & malis, semper in conspectu habere debent, ut  
hac se sustentent & erigant, ne calamitatibus fracti,  
uel fremant aduersus Deum, uel ruant in desperatio-  
nem, & miserè pereant sicuti Saul, Iudas & multi  
impij, qui oppressi malis, cum sint sine fide, sine ali-  
qua consolatione, non cogitant Deum imponere hæc  
onera ut saluet, sed ut perdat & damnet, ideo fremunt  
aduersus Deum, non benedicunt, sed maledicunt Deo,  
habent*



habent eum pro tyranno & iniusto, qui humanam naturam, per sese miseram & adflictam, maioribus oneribus & miserijs torqueat & excruciet & c.

At Ecclesia & pij, qui norunt causas, cur Deus Ecclesiam in hac uita uelit esse subiectam cruci, cum premuntur, non fremunt aduersus Deum, non illi maledicunt, sed quia hæc ex sacris literis & exemplis edocti, certo consilio, bono & paterno animo à Deo fieri sciunt, ideo tribuunt Deo laudem iustitiæ & bonitatis, quanquam ipsos affligenti, eum inuocant, petunt & expectant iuxta ipsius uoluntatem liberationem.

Norunt enim Deum imponere quidem onus, sed non ut opprimat & perdat, sed ut sub onere gementes & se inuocantes, iuuet & saluet. Sciunt Deum suum, esse Deum nõ ad perdendum sed ad saluandum, & Dominum esse dominum, qui etiam ex morte, si illi uisum & nobis salutare fuerit, educere & liberare possit: Ideo benedicunt domino quotidie.

Hanc esse uoluntatem Dei erga pios omnes, miseros & adflictos, ad ipsius misericordiam fiducia mediatoris confugientes, testantur promissiones, & multi scripturæ loci.

Ezech. 33. *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat.*

*Psalmus*



Psalmus 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum: Misericordiam autem meam non asseram ab eo.

Hierem. 29. Scio cogitationes, quas ego cogito super uos, ait Dominus, cogitationes pacis & non afflictionis, ut dem uobis finem & pacientiam, & inuocabitis me & uiuetis, & orabitis me, & ego exaudiam uos, quæretis me, & inuenietis & c.

Osee. 11. Conuersum est in me cor meum, simul accensæ sunt miserationes meæ. Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & non homo.

Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Rom. 11. Concluserunt Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.

Deinde, quod adsit & opituletur Deus afflictis, extant testimonia, ut sunt illa & plurima alia: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Non relinquam uos orphanos. Vobiscum sum usque ad consumationem seculi & c.

Testantur idem exempla. Tribus pueris in candenti fornace adest filius Dei qui eos seruat. Ita & custos



custos est Iacob filius Dei, & dux populi Dei. Hic liberat Petrum ex carcere, Daniele & paulum obiectos bestiis etc. Hic lapidatum Stephanum stans a dextris Dei, ex morte ad se ad aeternam uitam educit. Ita imponit pijs onus Deus, et tamen, ut Psalmus ait, seruat Ecclesiam.

Hic uero consideranda sunt cause adflictionum, propter quas Deus in hac uita Ecclesiam uult esse subiectam cruci.

Prima est commune peccatum generis humani, & seuitia diaboli, grassantis aduersus homines. Quanquam enim filius Dei uenerit ut destruat opera diaboli, & eum qui mortis habet imperium, tamen quia genus humanum prolapsum est in peccatum, & id in hac uita non actu sed reatu (ut Augustinus ait) tollitur, manent etiam reliquae aliquae poenae corporales in hac uita propter peccatum reliquum. Sicuti Genes. 3. scriptum est, Inimicitias ponam inter te & mulierem. Item, multiplicabo arumnas tuas &c. In laboribus comedes ex terra cunctis diebus uitae tuae etc.

Sed sciendum est, has poenas & adflictiones non esse satisfactiones pro peccatis. Non enim sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis, Rom. 8. quam gloriae reuelationem solus filius Dei sua passione nobis promeruit.

Sed hic obijcitur: Cur igitur adfligimur, si passiones nostrae non satisfaciunt pro peccatis? Hic



Hic sequitur secunda ratio: Ideo hæc onera imponuntur, ut peccatum reliquum in natura humana mortificetur, ne regnet, sed ut seruiat. Coercetur igitur tanquam bestia in carne seuiens his adflictionum uinculis. Ideo inquit Paulus, Corripimur à Domino, ne cum hoc mundo damnemur. Item si Christus in uobis est, corpus mortuum est propter peccatum & c. Si spiritu facta corporis mortificabitis, uiuetis.

Tertia ratio est: Ideo Ecclesia & singuli impij in hac uita adfliguntur, Quia sicuti Pet. inquit: Iudicium à domo Dei incipit, cum mundus non intelligat quid sit peccatum, neq; id curet, ut Ecclesia & omnes pij intelligant peccati & iræ Dei aduersus peccatum magnitudinem. Sicuti Psalm. 90. Moses orat: Defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus, posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, occulta nostra in lumen uultus tui & c. Item, Quis nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam? Doce nos ut sciamus numerum dierum nostrorum, ut ambulemus corde sapienti, id est, Doce nos ut intelligamus quam res execranda in tuo iudicio sit peccatum, & quam horribiliter irascaris peccato, propter quod genus humanum tot & tantis ærumnis est obnoxium, & mille casibus subiectum. Doce igitur nos ut has misérias nostras & uitæ fragilitatem consideremus, & tuam iram metuamus, ne ut maxima pars generis humani, in securitate & Epicureo contemptu Dei uiuamus & c. Quarta



Quarta ratio est: Vt pij afflictionibus emenda-  
ti & admoniti, uocentur ad poenitentiam & agnitio-  
nem misericordiae, sicuti in hoc Psalmo dicitur: Impo-  
nit onus nobis Deus, uidelicet, ut pressi hoc onere,  
agnoscamus peccata & nostras aerumnas, & deinde  
ad eius misericordiam confugiamus: Ideo addit Pro-  
pheta, Et tamen salus est nostra, hoc est, premit qui-  
dem, sed tamen ad se confugientes recipit, seruat. Si-  
cuti alibi dicitur: Populus non est reuersus ad percu-  
tientem se. Ideo enim percutit Deus, ut percussos ad  
se uocet & saluet.

Quinta, ut ad afflictiones pijs sint exercitia fidei,  
inuocationis, patientiae, spei, & multarum uirtutum:  
Vt est cernere in Ioseph, Daniele & multis alijs. Sic  
Esaiæ 26. dicitur: Domine in tribulatione uisitant te,  
angustia, in qua clamant, disciplina est eis. Psalm. 18.  
In tribulatione mea inuocaui dominum, & ad Deum  
meum clamaui, & exaudiuit de templo suo uocem  
meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in  
aures eius. Item Psalmus 116. Tribulationem & do-  
lorem inueni, Et nomen Domini inuocaui & c. Et  
Rom. 5. Ad afflictio parit patientiam, patientia proba-  
tionem, probatio spem.

Sexta, ut adimatur nobis fiducia propriae sa-  
pientiae, iustitiae aut potentiae, & manifestum fiat nos  
non nisi Deo regente & defendente seruari, iuxta

F

Psalm.



*Psalm. 127. Nisi Dominus ædificauerit domum &c.*  
Vult enim Deus in nostra infirmitate suam præsen-  
tiam & potentiam conspici & celebrari, ut cum à  
Pharaone populus Israël, Daniel in medio leonum,  
Tres pueri in candenti fornace, Paulus obiectis be-  
stijs, seruetur.

Postrema, ut fiamus similes imaginis filij Dei,  
& ut adflictiones sint testimonia futurae uitæ & glo-  
riæ. Quia enim Abel, Esaias, Baptista sanctissimi uiri  
cum tota Ecclesia adfliguntur: Ergo necesse est resta-  
re aliam uitam, in qua pijs bene, impijs uero male sit,  
sicuti ordo iustitiæ postulat.

Has causas & similes prodest habere in conspe-  
ctu, ne cum sumus in ærumnis, desperemus, & aduer-  
sus Deum fremamus: Sed consideratione harum cau-  
sarum & huius dulcissimi uersus, nos aduersus omnes  
miserias & ipsam mortem sustentemus: Sicuti memi-  
nimus Reuerendum uirum D. Doctorem Lutherum  
sanctæ memoriæ, cum uideret sibi iam cum mor-  
te certandum, multis audientibus repetitione  
huius uersus sese erexisse: Deus no-  
ster Deus ad saluandum, & domi-  
nus, est dominus educens  
ex morte.

Coma



COMMUNATIO  
de poenis hostium  
Ecclesiae .

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, uerticem capilli perambulantium in delictis suis:

Supra de Cruce & adflictionibus Ecclesiae est concionatus, & ostendit futurum ut grauius tum à gentibus uicinis populo Dei, tum etiam à suis regibus & principibus prematur. Vicini enim reges Aegypti, Syriae, Assyriae, Moab, Ammon & alij, grauius adflixerunt Ecclesiam, euersis urbibus & populo in captiuitatem abducto, & in uaria loca disperso. Qualem crudelitatem in populum Dei & membra Christi hoc tempore uidemus exercere Turcam, qui uastatis agris & regionibus, multa hominum milia, iam multis annis ferè continuè, in miseram seruitutem, & in loca ultra mare posita abduxit, unde ad suos reditus esse non possit: Ita liberi à parentibus, & mariti à coniugibus auulsi, in tetram barbariem & execrandam Mahometicam sectam abducuntur.

De his ærumnis Ecclesiae praedicat prior pars huius uersus, et simul mimatur interitum talibus persecutoribus.

F 2

& ho=



Et hostibus Dei, Et promittit Ecclesie subinde aliqua leuamina Et solatia, Et loquitur de ijs tyrannis qui sunt Ethnici Et ad Ecclesiam non pertinent: Quales fuerunt Sefack Aegypti, Sennacherib Assyriorum rex, Antiochus Epiphanes Et similes, Et qualis nostro tempore Turca est. His certum exitium praedicat, cum ait: Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum. Tales enim non sunt neque esse uolunt membra populi Dei, sed ex professo sunt inimici Et hostes Ecclesie. Talis comminatio est quoque illa Psalm. 110. Iudicabit inter gentes, implebit cadaueribus, conteret capita in terris multis.

Ita uidemus propter Ecclesie persecutionem Assyriorum, Syrorum, Aegypti, Graecorum Et maxima ex parte Romanorum potentiam Et regnum euersum Et destructum, Et nota sunt de euersione Turcici regni, quae futura est paulo ante aduentum liberatoris, Et Domini nostri Iesu Christi, Prophecia, Ezech. 39. Et Apocal. 20. De Gog Et Magog.

Altera pars uersus, quae est, Confringet uerticem capilli perambulantium in delictis suis, loquitur de ijs persecutoribus, qui uolunt esse membra, imo qui uolunt esse uertex Et capilli, hoc est, capita Ecclesie Et populi Dei: Qui singulari (ut uocant) deuotione Et motu, nouos cultus, ceremonias



ceremonias, doctrinam, canones & traditiones no-  
uas, sed sine mandato D E I, cum magna spe-  
cie cultus DEI & pietatis instituunt, &  
qui Prophetas, Apostolos, Episcopos, & ueros Do-  
ctores ac sanctos Dei homines, tales idolatrias, ut cul-  
tum Hieroboam in Samaria, cultum Baal, Astaroth,  
Militiæ coeli, Errores Saduceorum, et Phariseorum,  
Abominationes Missarum, Inuocationes Sanctorum  
mortuorum, Prohibitiones ciborum & coniugij, &  
similia reprehedentes, crudeliter persequuntur &  
interficiunt tanquam hæreticos, blasphemos in De-  
um, & seditiosos contra reges & magistratus, qui  
etiam si admoneantur à pijs doctoribus de errore &  
idolatria, tamen perambulant in delictis suis, hoc est,  
perseuerant in errore, & pertinaciter Idolomaniæ,  
ut summum cultum Dei, defendunt ui & armis.

Tales fuerunt olim Hieroboam, Ahab, Ahas,  
Manasse: Item, Herodes, Annas, Caiphas, Scribæ,  
Pharisei: Et hoc tempore Pontifices, Episcopi, Mo-  
nachi, Sacerdotes, cum magna parte potentum. His  
omnibus comminatur hic Propheta certas poenas.

Pereunt igitur hostes Ecclesiæ, ut testatur histo-  
ria ab initio mundi. Et quanquam Deus à tyrannis  
stat adfligi Ecclesiam, & quidam sancti, ut milites  
& duces in acie, interficiantur, tamen sublatis tan-  
dem & perditis hostibus, corpus Ecclesiæ ad Deo cu-



stode seruat<sup>r</sup> & liberatur, ut in omnem æternitatem  
uiuat cum Deo capite & liberatore suo: Quia Deus  
noster, est Deus ad saluandum pios, & est Deus ad  
perdendum impios, si non agant pœnitentiam & con  
uerti nolint. Ideo sequitur.

Dixit Dominus, de pinguibus cõ  
uertam, conuertam de profundo ma  
ris.

Alij interpretantur hunc uersum de exercitibus,  
quos Deus per Romanos terra & mari ad delendam  
gentem Iudaicam collegerit. Sed magis propria in  
terpretatio est, esse hanc Prophetiam de quibusdam  
ex Israëlis populo conuertendis & saluandis. ]

Basan uero fertilissima regio, quæ à pinguedi  
ne nomen habet, olim regis Og regnum, occupata est  
à populo Israël, unde hunc populum Basan uocat, eo  
quod pinguedine & copia diuinarum promissionum  
abundet, quod testamenta, legem, patres, prophetas,  
templum, cultus, ceremonias, & cætera bona diuina  
habeat. Ideo inquit, ex Basan conuertam, hoc est, non  
delebo totam gentem, sed conuertam, colligam & sal  
uabo aliquas reliquias per Euangelij uocem, ut ex Iu  
deis Apostoli & multi alij seruati sunt.

Non enim uult Deus mortem peccatoris, sed ut

con=



conuertatur & uiuat, neque totam iram accendit, sed  
in ira sua recordatur misericordiae. Est igitur hic  
uersus dulcis mitigatio superioris comminationis.

Sed qui sunt illi quos de profundo maris Pro-  
pheta dicit conuertendos? Hi sunt qui in legis opera,  
ceremonias & humanas traditiones, tanquam in pro-  
fundum maris mersi, audita uoce Euangelij, & à Spi-  
ritu sancto tanquam manu præhensi, emergunt ex  
morte & tenebris, & rursus in uitam & lucem re-  
uocantur, quales fuerunt olim Nathanaël, Nicode-  
mus, Paulus & multi alij qui religiose & magno co-  
natu in Pharisaismo uixerunt: Et hoc tempore pluri-  
mi Sacerdotes & Monachi, qui ubi lucem Euangelij  
cognouerunt, ex sentina Pontificiarum traditionum  
& superstitionum Dei beneficio eluctati sunt, non se-  
cus ac naufragi è profundo maris, aut populus Israël  
ex profundo maris rubri seruatus est, deleto hoste  
Pharaone cum toto exercitu.

Agamus igitur gratias Deo, quod propter im-  
pietatem, non totas gentes delet, sed ex ijs colligit &  
seruat singulari bonitate aliquas reliquias: Si-  
cuti Esaia 1. dicitur: Nisi Dominus exerci-  
tuum reliquisset nobis semen, quasi  
Sodoma fuisset, & quasi Go-  
morræ similes esse-  
mus.



Propterea intingetur pes tuus in  
fanguine, lingua canum tuorum ex  
inimicis, & ex principe.

(Scilicet qui effluet linget sanguinem.)

Inseruit uersum, quo tristem comminationem  
nonnihil mitigauit, promittens aliquas reliquias po=  
puli delendi, uoce Euangelij conuertendas & seruan=  
das.

Hic redit ad precedentem comminationem, &  
prædicit deuastationem Hierosolymæ, & euerfionem  
totius politie Mosaicæ, cum miserabili cæde & cla=  
de populi, de qua extant historia à Iosepho & Ege=  
sippo scriptæ.

Obsidio urbis coepit in festo Paschatis, propter  
quod festum ingens hominum multitudo passim ex o=  
mnibus regionibus confluxerat, & scribuntur ultra  
trices centena hominum millia cineta fuisse obsidio=  
ne, & huic urbi tanquam carceri inclusa. Durauit ob=  
sidio mensibus quinque & diebus aliquot: Capta est  
octauo die Septembris, cum antea templum 10. die  
Augusti esset incensum, eodem die & mense, quo an=  
te annos 617. à Nabuchodonosore erat combustum.  
Capti sunt toto bello nonaginta septem milia: Mor=  
tui in urbe tempore obsidionis, undecies centena mi=  
lia: Reliqua multitudo, quæ superstes mansit, partim  
miser=



miserrimè postea perijt, & partim per totum orbem  
est diuendita & dispersa.

De hac urbe ita refert Iosephus, Hierosolyma  
quinquies capta, aedificata à Melchisedech, stetit an-  
nis 2177. Neq; diuitiæ, Religio, munitiões, neq; poten-  
tia iuuerunt quo minus periret. Hic finis Hierosoly-  
mis fuit, ciuitati clarissimæ, & apud omnes gentes  
laudatissimæ.

Tres autem sunt præcipuæ causæ deletæ Hie-  
rosolymæ. Prima propter Prophetas, Christum &  
Apostolos interfectos.

Secunda, ut esset exemplum toti orbi terrarum  
horribilis iræ Dei aduersus contemptores & perse-  
cutores uerbi Dei, non fore eos sine pœna, cum urbem  
sanctissimam, quæ sedes & templum Dei fuerit, ita  
funditus deletam uiderent homines.

Tertia, quia Iudæi contendebant Circumcisio-  
nem & obseruationem legis ad iustitiam esse necessa-  
riam, & non tam filio Dei donato & misso media-  
tore & liberatore humani generis, quam templo &  
cultibus Mosaicis confidebant, & Apostolis Euan-  
gelium docentibus crebro τὸν νόμον τὸ πορ λάοις  
καὶ νόις opponebant, quæ perpetua fore sperabant:  
ideo Deus ipso factò, euersa urbe cum templo, osten-  
dit se damnare & abijcere legis iustitiam, & appro-  
bare eam iustitiam quæ est ex fide liberatoris Domini



nostri Iesu Christi. Quare iam euerso templo cum urbe, cum à Tito sacerdotes superstites uitam peterent, prudenter Titus respondit, Decere sacerdotes interire cum templo, & ita duci eos ad supplicium iussit.

Hæc de excidio Hierosolymæ urbis in toto Oriente quondam clarissimæ, breuiter hoc loco monuisse satis est.

Sequitur.

## TRIVMPHVS Christi in uoce Euangelij.

Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Redit à digressione, qua crucem & afflictiones Ecclesiæ commemorauit, ad descriptionem alterius pompæ Triumphalis.

Prior enim triumphus fuit, qua uictor mortis & diaboli filius Dei, ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem ac dedit dona hominibus, mittens Spiritum sanctum, dans Apostolos, Prophetas, Episcopos, Pastores, & omnibus seculis conseruans uerbi ministerium. In his uero quatuor uersibus ordine sequen-



sequentibus, depingit triumphum filij Dei, quem hic  
interris in Ecclesia sua per Patres, Patriarchas, Pro-  
phetas, Apostolos, Episcopos, Pastores & Doctores  
cum ingenti splendore & ornatu, in magna frequen-  
tia hominum & spectatorum, ab initio Ecclesie, us-  
que ad finem mundi, dicit.

Curvus triumphalis est uox Euangelij, in quo  
Christus uictor peccati, mortis, diaboli, & infero-  
rum, per totum terrarum orbem aeternam Ecclesiam  
colligens, ab initio usq; ad finem mundi uehitur: hanc  
uocem Euangelij de uictorijs filij Dei in orbe terra-  
rum sonantem, uocat hic Ingressum, cum ait: **Vide-  
runt ingressus tuos Deus, ingressus  
Dei mei, regis mei, qui est in sancto.**

Ceterum cum inquit ( uiderunt ) ostendit hunc  
triumphum, doctrinam Euangelij, non esse tectam &  
absconditam, sed toti humano generi patefactam &  
aperiendam, & hunc triumphatorem ducere hanc  
triumphalem pompam, spectantibus omnibus angelis  
& hominibus, sicuti alibi dicitur: In omnem terram  
exiuit sonus eorum. Et 1. Petr. 1. Ea nun-  
ciantur uobis de CHRISTO IESU, in qua  
desiderant angeli prospicere. Est igitur huius  
Regis ingressus ualde celebris & magnificus:  
Estq;



Estq; hæc insignis commendatio ministerij, imprimis hoc loco obseruanda, quod homines impij alioqui & contemnunt & oderunt ac persequuntur.

Quanquam autem personam regis uictoris supra in propositione diligenter descripserit, cum eum Iehoua, Patrem orphanorum & iudicem uiduarum appellat &c. Tamen ne quis hunc Mariæ filium solum hominem esset putet, & ideo contemnat, claris uerbis hic geminata uoce Deum, & quidem Deum suum & regem suum uocat Propheta, per quem regem uictorem, deletum sit peccatum, absorpta mors, & destructa diaboli potentia & tyrannis, & iustitia ac uita æterna sit restaurata, sicuti & Psa. 45. Deum uocat cum ait, Sedes tua Deus in seculum seculi. Item, Ipse est Dominus tuus & adorabis eum.

Addit autem ubi hic uictor sedem & regnum teneat, non solum ad dextram patris in coelis, sed & in sancto, hoc est, in Ecclesia, quam ipse per Spiritum sanctum, Verbum & Sacramenta perpetuo sanctificat.

Præcesserunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuencularum tympanistiarum.

Hæc



Hæc est pompæ triumphalis descriptio. Ingens multitudo circumfusa regem uictorem celebrat, canens pæana & ἐπινίκιον, carmen triumphale: primi sunt principes seu cantores, in medio sunt puellæ pulsantes tympana, postremo loco sunt psallentes seu ludentes in instrumentis musicis. Quibus ordinibus totam Ecclesiam omnium temporum, celebrantem Christum uictorem, complectitur.

Talis triumphus species extat, 1. Reg. 18. ubi Dauid uicit Goliath. Potest autem hic chorus pulcherrimus iuxta dictum Eliæ, Sex milibus annorum stabit mundus etc, commode sic diuidi, ut primi et principes sint patres, qui præcedunt reliquam Ecclesiæ multitudinem. Hi sunt in primis duobus millibus Adam, Abel, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Jared, Henoch, Mathusalem, Lamech, qui decem in primo millenario sunt. Deinde in secundo sequitur Noha cum Sem sacerdote Dei altissimi usq; ad Abraham, qui hoc uictoriale carmen, Ipsum semen mulieris conteret caput serpentis, primis duobus millibus annorum cecinerunt.

In secundo binario millenario, ab Abraham ordiendo, sunt Patriarchæ & Prophetæ, medij in sæculorum mundi serie & ordine, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Leui, Aaron, Moyses, Iosua, Samuel, Dauid, &c. cum ordine sequentibus Prophetis, pijs regibus, ducibus



ducibus & sacerdotibus populi Dei, quorum in suis tympanis, hoc est, ministerio, hæc uox & carmen fuit in sequentibus duobus millibus annorum usq; ad aduentum promissi Messiae decantatum: In semine Abrahæ benedicentur uniuersæ gentes terræ.

Postremi in duobus ultimis millibus annorum, & sic in fine seculorum, sunt Apostoli, cum ipso filio Dei Domino nostro Iesu Christo, cum Episcopis, Pastoribus & Doctoribus, ac tota Ecclesia, qui pro liberatione & benedictione per Christi mortem & oblationem facta, gratias agunt Deo, & in suis instrumentis musicis, in ministerio Euangelij, cum tota Ecclesia angelorum & hominum, hoc uictoriale carmen canunt, & in omnem eternitatem cantabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus exercituum: Item, Gloria in excelsis Deo: Item, Benedictus Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali in caelestibus per Christum &c.

Hunc totum, omnium pulcherrimum, coetum & chorum Ecclesie, ab ipso exordio, usq; ad finem mundi, uictoriam Regis & Domini nostri Iesu Christi, tanquam in triumpho celebrantem, describit, sicuti reuera doctrina Euangelij, nihil aliud est, quam carmen triumphale, de deletio peccato, destructa potentia Sathanæ, & deuicta morte, & reparata iustitia & uita eterna per filium Dei.

Vocat



Vocat autem iuenculas pulsantes tympana  
Ecclesias noui testamenti, quæ cum Ecclesia ueteris  
testamenti simul choros ducentes, Deo gratias agunt.  
Vna enim est Ecclesia Dei, omnium temporum per-  
petua & æterna, uno Spiritu & fide Deo copulata  
& desponsata, sicuti Osee 2. scriptum est: Despon-  
sabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in  
iustitia & iudicio, & in misericordia & in misera-  
tionibus, & sponsabo te mihi in fide &c.

## DE COETIBVS

Ecclesiasticis, & quæ do-  
ctrina in Ecclesia so-  
nare debeat.

In Ecclesijs benedicite Deo, Do-  
mino, de fontibus Israël.

Quod supra de triumpho figurate concionatus  
est, hic planis uerbis & sine figura dicit, ac hortatur  
Ecclesiam totam ut Deo benedicat, & quidem non so-  
lum in loco priuato & solitario, sed præcipue in con-  
gregatione & frequentia populi: & simul docet  
unde sit haurienda benedictio, non ex quauis aqua seu  
lacuna, sed de liquidis & limpidis fontibus Israël.

Principio uero obseruandum est quod Propheta  
ait,



ait, in Ecclesijs benedicendum Deo, contra uitam Mo-  
nasticam & Eremiticam, quam Hypocritæ magnifa-  
ciunt & solam admirantur. Neq; enim Deus ita ho-  
minem condidit, ut sese solum in latebras quasdam ab-  
deret, sed ita rerum conditor inquit, Non est bonum  
hominem esse solum, Et ne sit solus, copulat eum cum  
coniuge, instituit matrimonium, œconomiarum, po-  
litiarum & Ecclesiarum fontem & seminarium, per  
quod primum homines uult connexos uinculis sangui-  
nis & affinitatum, contractibus & uarij generis of-  
ficijs & necessitudinibus in hac uita corporali, ut in  
istis, quanquam rebus externis & corporalibus, ha-  
beant occasiones exercendæ fidei, inuocationis, obe-  
dientiæ, patientiæ & multarum uirtutum.

Sed præcipuè hanc hominum consociationem  
ideo diuinitus institutam uidemus, ut eo magis cele-  
brentur coetus publici inter homines, quò hoc modo  
in talibus publicis congressibus, commodius homines  
de Deo doceri, & uox cœlestis doctrinæ eò latius ad  
plures spargi & propagari possit. Deinde ut in his  
coetibus homines sese inuicem & mutuis exemplis ac-  
cendant & acuant ad discendam doctrinam, ad inuo-  
cationem, gratiarum actionem, ad confessionem, ad  
exercendam fidem, spem, charitatem, patientiam &  
reliquas uirtutes, quæ nisi & uoce & exemplis in fre-  
quentia hominum excitentur, in singulis alioqui fri-  
gere solent.

Postremo



Postremo ut in coetu certius iudicium de doctrina & ueris cultibus Dei esse & exerceri possit, ne singuli in priuatis locis ipsi sibi doctrinam de Deo & cultus Dei sua sapientia fingant.

Hæ sunt ferè præcipuæ causæ, propter quas Ecclesias & coetus populi frequentari uult Deus: sicuti extant hæc de re præcepta, Sabbatum sanctifices, quo ministerij publici conseruatio omnibus sæculis præcipitur: & Psalm. 47. Principes populorum congregati sunt cum populo Dei Abraham.

Amemus igitur coetus Ecclesiasticos, sonantes Dei doctrinam, & his nos aggregemus propter causas supra recitatas, & ueneremur ministerium publicum diuinæ uocis, sic n. inquit Christus: Vbi duo aut tres fuerint in nomine meo congregati, ibi ero in medio ipsorum.

Hæc obseruanda sunt propter Anabaptistas & alios Phanaticos, qui Ecclesias & publicos coetus uitant, & ministerium contemnunt, & seorsim apud imperitam multitudinem uenenata dogmata spargunt, ac lucem publicorum congressuum ideo fugiunt, ne iudicium & exploratio de ipsorum erroribus fieri, & ipsi conuinci & redargui possint. Ideo non solum hoc loco, sed & in multis alijs Psalmis hæc exhortatio repetitur, In Ecclesijs benedicite Deo.

Ideo enim diuinitus seruantur œconomia & politica,

G

litia,



litie, ut sint publici congressus, in quibus uerã doctrinam de Deo et ueros cultus Dei homines discant, Deũ inuocent & celebrent, sicuti Psalmo 122. dicitur: Hierusalem edificatur ut sit ciuitas, in qua conueniatur, ut illic ascendant tribus, tribus domini ad testimonium Israël, & ad confitendum nomini domini. Et additur ibidem grauissima ratio, cur hi conuentus sint diuinitus instituti, cum subiicit Propheta: Quia illic sederunt sedes in iudicium, sedes domus David, id est, quia sola Ecclesia est sedes & thronus, in quo Deus sedens exercet iudicium, & per Spiritum sanctum arguit peccata, & confugientibus per fiduciam Mediatoris ad ipsius misericordiam remittit peccata. Et hæc sedes est domus Davidis, hoc est, Christi in Ecclesia, ad quam quoque iudicium de doctrina pertinet.

Ceterum quod ait: In Ecclesijs benedicite Deo, sciendum est, eam benedictionem, de qua hic loquitur, quinque constare partibus.

Primum, ut uera doctrina in Ecclesijs late propagetur. Deinde, ut ex ea doctrina agnoscentes Deum fiducia Mediatoris eum inuocent, & in omnibus ærumnis opem & leuationem petant & certa spe expectent.

Tertio, ut pro bonis corporalibus & spiritualibus ac æternis, æterno patri domini nostri Iesu Christi gratias agant.

Quarto



Quarto, ut constantiam in confessione caelestis doctrinae praestent, non fracti miseris & malis doctrinam Dei abijciant, sed sua confessione testimonium de doctrina, quod uere Dei uox sit, edant, & ceteros ad eam amplectendam & profitendam excitent & confirment, iuxta illa dicta: Credidi propter quod locutus sum. Item corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Postremo, ut ex totius uitae nouitate celebretur Deus, sicuti praecipit Christus, Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & patrem uestrum qui in caelis est glorificent.

Hanc benedictionem, hoc est, celebrationem nominis diuini, uult fieri in Ecclesijs, hoc est, in conspectu & coetu hominum piorum, qui sunt Ecclesia uisibilis in hoc mundo. De hac benedictione loquitur & Psalmus 134. Ecce nunc benedicite domino, omnes serui domini, qui statis in domo domini per noctes: Extollite manus uestras ad sanctum, & benedicite Domino etc.

### De fontibus Israëli.

Sed hic quaeritur unde & ex quo fonte doctrina, quae in Ecclesijs spargenda est, sit haurienda? Id



monstrat postrema pars huius uersus, cum ait, De fontibus Israel. Nō enim ex quouis stagno aut quauis lacuna humanarum traditionum, sed ex ijs fontibus petenda est doctrina Ecclesie, quos Deus per Filium suum, per Prophetas & Apostolos fodit, iuxta illa dicta, Unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit. Itē, Hunc audite. Item, Docētes eos seruare quaecunq; mādaui uobis. et, Si quis aliud euangelizauerit, anathema sit.

Ex his fontibus deriuantur postea riuuli utiles et salutare Enarrationes scriptorum Prophetarum & Apostolicorum, quibus Ecclesie, ut horti Dei amoenissimi, irrigantur, qui quo propiores sunt fontibus, eo sunt puriores & magis liquidi. Quo autem magis a fontibus fluunt, eo plus trahunt & uehunt coeni. Quare ut Poeta ait:

Dulcius ex ipse fonte bibuntur aquae.

Imo Ecclesia ex solo fonte potanda est, & interpreti Prophetarum et Apostolicorum scriptorum in primis dāda opera est, ut cū riuulis et enarrationibus sanctorum patrum uti uelit, si quid est coeni, sicuti in multis est inuenire traditiones humanas, etiam in ueteribus, ut id coletet purificet, et mūda ac pura aqua Ecclesias irriget & aspergat: precipue uerō cauendum est, ne ex stagnis repletis serpentibus, bufonibus, cocleis et alijs uenenatis animantibus homines potet. Qualia sunt  
scripta



scripta in quibus prophanatio Missæ, inuocatio mortuorum sanctorum, prohibitiones coniugij & ciborum & similes errores asseruntur.

Ibi Benjamin adolescentulus, dominatur eis, Principes Iuda cum suis turmis, Principes Zabulon, Principes Neptalim.

Ibi scilicet in illis Ecclesijs dominatur Benjamin, Paulus nempe de tribu Benjamin natus, ut ipse Roma. ii. & Philip. 3. testatur. Describuntur enim hic ordine præfecti, principes & duces Ecclesiarum & exercituum Dei, & numerantur etiam tribus singulorum Apostolorum, ac apparet Prophetam uehementer exultantem spiritu, gloriam regni Christi, in uoce Euangelij per Apostolos & eorum successores per totum orbem triumphantes hæc descripsisse, qualis & descriptio Psalmo 145. Exaltabo te Deus meus rex, extat, in quo est cernere, Dauidem præuidentem immensam gloriam regni Christi, quasi ebrium gaudio, de illo æterno regno filij Dei concionari, ut uera sit Bernardi sententia: Prophetas plus gaudij ex futuro regno Christi hausisse & eo letatos, quam nos qui iam eius regni ciues & incolæ sumus & coram ac quotidie illis æternis bonis fruimur, quæ nostra somnolentia & socordia damnanda & excutienda est.

G 3

Cete=



Cæterum primo & supremo loco in ordine du-  
cum exercituum Dei ponitur Paulus, ex tribu Benia-  
min, quem adolescentulum appellat, ideo quod ado-  
lescens uocatus est ad muneris Apostolici functionem,  
sicuti Actor. 7. de eo refert Lucas in lapidatione Ste-  
phani: Eijcientes eum extra ciuitatem lapidabant, &  
testes deposuerunt uestimenta sua secus pedes adole-  
scentis, qui uocabatur Saulus. Dicit autem cum inter  
cæteros dominari, & ideo primo loco ponit, quod ex  
blasphemo & persecutore electum organum in pro-  
pagando regno Christi, & præ reliquis singularibus  
donis Spiritus sancti ornatus, & in tertium coelum  
usque & in Paradisum raptus fuerit, & plures ærum-  
nas sustulerit, & plus cæteris Apostolis in circumse-  
rendo per orbem terrarum Euangelio Christi, labora-  
rit, & ad Christum plures conuerterit.

Hunc Pauli foelicem in docendo Euangelio cur-  
sum, & cæterorum Apostolorum labores, mille annis  
in spiritu ante præuidit & de eo uaticinatus est Pro-  
pheta Dauid, quæ cum, ut prædicta sunt, omnia sic  
sint gesta & impleta, certum est Apostolorum doctri-  
nam & ministerium uere diuinum esse, non humano  
ingenio aut autoritate, ut sunt alie artes & religio-  
nes, inuentum & excogitatum, & hanc Apostolo-  
rum uocem in Ecclesia omnibus temporibus diuini-  
tus seruari.

IMO



Imo ut Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, Prophetiam Iacob, quæ inter benedictiones eius Gen. 49. extat, interpretatur, & multo ante de Paulo electo organo Dei prophetiæ patefactæ sunt. Sic enim cum locum exponit Tertullianus: Mibi Paulum etiam Genesis olim repromisit. Inter illas enim figuras & propheticas super filios suos benedictiones, Iacob cum ad Beniamin dixisset, Beniamin inquit lupus rapax ad matutinum comedet adhuc, & ad uesperam dabit escam. Ex tribu enim Beniamin oriturum Paulum prouidebat, lupum rapacem, ad matutinum comedentem, id est, prima ætate uastaturum pecora domini, ut persecutorem Ecclesiarum, dehinc ad uesperam escandaturum, id est, deurgente iam ætate oues Christi educaturum, ut Doctorem nationum: Quarum autem nationum, urbium, populorum & Ecclesiarum dux sit Paulus, quas Christo subiugauit, deinde etiã ordine ceteri Apostoli, ostensum est supra in enarratione uersus, Dominus dabit uerbum cum magno exercitu Euangelistarum.

### Principes Iuda cum suis turmis.

Fuerunt autem ex tribu Iuda Apostoli, Iacobus minor, Simeon & Iudas filij sororis matris Christi Mariae Cleophae, ut habes Matth. 13. & Marci 15. Et omnino necesse est Iacobum & Iohannem filios Zebedei, cui Salome nupta fuit (Nam & illi fratres, cognati scilicet



ti scilicet Christi fuerunt ) etiam ex tribu Iuda fuisse.  
Habitauerunt autem ad mare Tiberiadis seu stagnum  
Genezareth propter piscationes in uicinis oppidis  
Capernaon et Bethsaida, quanquam ex tribu Iuda essent.

### Principes Zabulon, Principes Nephtalim.

Petri, Andreae, & Philippi ciuitas Galileae fuit  
Bethsaida prope stagnum Genezareth & non longe  
a Capernaon sita in finibus Zabulon & Nephtalim,  
ut testatur Hieronymus in locis Hebraicis.

Hos principes dicit suas turmas & exercitus,  
Ecclesias passim in orbe terrarum per ipsos conuer=  
sas, adducere ad regem uictorem Christum. Vocat  
autem homines miseros textores & pisces prim=  
cipales & duces in hoc regno Christi. Delegit enim  
Deus ea quae stulta erant secundum mundum, ut pude=  
faceret sapientes, & quae erant imbecillia in mundo  
contemptaque delegit Deus 1. Corinth. 1. & quidem  
eos qui non erant in ordinaria successione gubernan=  
da Ecclesiae, sicuti eo tempore erant Pontifices, Scri=  
bae, Pharisei, hostes Christi & uerae doctrinae, sicuti  
hoc tempore oppressores ueritatis sunt, qui eius  
assertores esse debebant, qui cum scientiam & studi=  
um caelestis doctrinae repulerint, reiecti & ipsi a Deo  
sunt, ne uero sacerdotio fungantur, & interea homi=  
nes miseri, non praediti aliqua autoritate aut potentia,  
diuinitus excitantur, qui sint duces & Episcopi Ec=  
clesiarum. Præce=



**Præcepit Deus fortitudinem  
tuam.**

Prior pars uersus est consolatio & occupatio: cum n. de regno Christi haectenus magnifice sit con-  
cionatus, & Apostolos, Episcopos ac Pastores, prin-  
cipes & duces exercituum Dei uocarit, & tales mi-  
nistri Christi sint sine uiribus, opibus & potentia,  
imo ab impijs habeantur pro excrementis mundi &  
omnium sint reiectamentum: Deinde magnus sit fu-  
ror, magna potentia diaboli & mundi grassantis ad-  
uersus regnum Christi, saepe cogitant piæ mentes, in  
tantis furoribus diaboli, non mansuram Ecclesiam, et  
ruiturum regnum Christi, cum non sit suffultum &  
munitum externis regum & principum armis, à qui-  
bus plerunq; regnum Christi oppugnatur.

Posita igitur hic est consolatio, cum inquit, **Præ-  
cepit Deus tuus fortitudinem tuam.**  
Id est, quanquam hoc regnum Christi spirituale, sit  
sine externis uiribus & potentia aliqua, & diabolus  
cum tyrannis uideatur deleturus hoc regnum, tamen  
ita diuinitus est institutum & firmatum, ut non cor-  
poralibus aliquibus præsijs, sed ex diuino instituto,  
præcepto & mandato contra omnem diaboli & mun-  
di potentiam, firmitatem & robur habeat, & cæteris  
regnis euersis ipsum stet sola diuina uirtute immo-  
tum.

H tum.



tum. Hic enim est lapis abscissus sine manibus, com-  
minuens testam & ferrum, es, argentum & aurum  
Daniel. 2. Ita Euangelium non solum est potentia  
Dei ad salutem omni credenti, ad delendum peccatum  
& mortem, sed & ad destruendam diaboli & mun-  
di potentiam, & hanc uim habet ex solo precepto &  
mandato diuino, non ex humanis praesidijs aut armis.

Quare nemo de hoc regno desperet, cum infir-  
mum esse, & a diabolo & toto mundo ipsum oppig-  
nari uideat. Deus enim ita instituit, mandauit & prae-  
cepit, ut sit firmum & immotum adeo, ut ne quidem  
inferorum portae ipsi praeualere possint. Nam etsi, ut  
in acie, horum exercituum & Ecclesiarum duces Apo-  
stoli a tyrannis sint interfecti, tamen mox in illorum  
stationem ipsorum discipuli & ordine omnibus aeta-  
tibus subinde alij Episcopi, pastores & praefecti a fi-  
lio Dei sedente ad dexteram patris surrogantur, &  
tanquam in supplementum mittuntur, & ita corpus  
regni & Ecclesiae seruatur.

Ceterum quanquam hoc regnum ex precepto  
& mandato Dei ita sit firmatum & munitum, tamen  
nihilominus Deus pro eo stabiliendo uult rogari, &  
cultum inuocationis sibi praestari, ideo subiicitur Ora-  
tio pro conseruando regno Christi ualde necessaria  
contra diabolum hostem huius regni & eius organa.

Præ



**PRECATIO PRO**  
conseruatione  
Ecclesie.

Confirma hoc Deus quod operatus  
es nobis.

Propter templum tuum in Hierusa-  
lem tibi reges offerent munera.

Increpa feram arundinis, congregatio-  
nem taurorum inter uitulos, popu-  
los conculcantes propter argentū.  
Dissipat gentes quæ bella uolunt.

*Hanc precationem ut in quotidiano usu esse  
possit, explicabimus paraphrasi.*

**Precatio pro Ecclesia.**

**O**Mnipotens, æterne, uiue & ue-  
rissime Deus, æterne pater Do-  
mini nostri Iesu Christi, conditor cœli  
& terræ, & uniuersæ creaturæ conser-  
uator, tibi ex toto pectore agimus gra-  
tias, quod immensa bonitate, per fili-  
um tuum Dominum nostrum Iesum  
Christū, te generi humano patefecisti,

H 2 &



& hunc pro nobis ἰλαστήριον, μεσίτην καὶ  
ἰκέτην constituisti, & quod effuso in A-  
postolos spiritu sancto tuo, æternam  
Ecclesiam, hæreditatem filio tuo, per  
Euangelij uocem colligis, & subinde  
alijs in aliorum stationem missis, &  
excitatis doctoribus tanquam ducibus  
& regibus exercituum et Ecclesiarum,  
regnum filij tui Domini nostri Iesu  
Christi, in tantis diaboli & mundi fu-  
roribus & imperiorũ ruinis perpetuo  
& mirabiliter conseruas, per quod ad  
te conuersis, & filium tuum uera fide  
& fiducia complectentibus, peccata &  
omnia debita condonas, & Spiritum  
sanctum tuum, iustitiam, lætitiã &  
æternam uitam gratis propter solum  
eundem filium tuum Dominum no-  
strum Iesum Christum donas.

Deinde, ut hoc regnũ filij tui, quod  
tu ex ineffabili bonitate ad tuam mise-  
ricordiam confugientibus, in Sionio  
monte, sancta Ecclesia tua constitui-  
sti, porro confirmes & conserues, te sup-  
plices oramus, & ut regum ac principi-  
pum



pum animos, ad tui agnitionem & timorem Spiritu sancto tuo flectas & exuscites, ut regi uictori filio tuo, in uoce Euangelij triumphanti, sui imperij portas aperiant & ei munera offerant, deleant idolatrias & impios cultus, & uocem Euangelij filij tui cum ueris cultibus a te mandatis propagare, conseruare & defendere studeant, ut sub his scutis & protectoribus terræ, doctrina Ecclesiæ & bonarum artium studia floreat, & nō hostes ac oppressores, sed (quod promifisti) Ecclesiæ tuæ nutricij & mamillæ sint uel aliqui pij reges & principes.

Postremo, cum immanis & sæua fera diabolus, paludibus & arundinibus, hoc est, impietate, idolatria, blasphemia, obscœnitate, & omnibus sceleribus gaudens, & ad ea homines impellens, Ecclesiam cum uera doctrina & ueris cultibus uastare & delere conetur, te supplices oramus, ut propter filium tuum Dominũ nostrum Iesum Christum, hanc tam seuam bestiam, Ec

H 3      clesiæ



clesiæ tuæ uastatricem reprimas, cum  
horribili grege taurorū & uaccarum,  
pontificum, scribarum, pharisæorum,  
& hoc tempore Romanorum pontifi-  
cum, Cardinalium, Episcoporum, Sa-  
cerdotum & Monachorum, qui ut tau-  
ri & uaccæ, tantum uentrem & faginā  
suam curantes, cum impia multitudi-  
ne, propter argentum & uitæ suæ com-  
moda retinenda, pios doctores & alios  
sanctos, Christi tui membra, conculcāt  
& interficiunt, ac uastitatem in Eccle-  
sia tua, ut immanes beluæ, efficere co-  
nātur. Hos uastatores, tu, o Deus, pro-  
pter gloriam nominis tui, propter filiū  
tuū, cuius hoc regnum est, coherce, ut  
sint aliquæ Ecclesiæ, quæ te celebrent,  
te inuocent, quæ tuā doctrinam ad om-  
nem posteritatem late spargant, ut spi-  
ritu sancto tuo opitulante & regente,  
& filio tuo domino nostro Iesu Chri-  
sto ad dexterā tuam nos hæreditatem  
suam custodiēte, tibi grata & accepta,  
saltem aliqua, in genere humano fiant  
Amen, Amen.

Disis



## **Dissipat gentes, quæ bella uolunt.**

Hoc Epiphonema in fine orationis additum, continet promissionem & consolationem de delendis hostibus Ecclesiæ, quos hic gentes uocat, contra Christum & Ecclesiam belligerantes, quos Christus uictor sedens ad dexteram patris, Ecclesiæ suæ custos, non secus ac fumum dissipat & dispellit, secuti initium Psalmi habet, & exempla plurima testantur, Pharaonis, Sennacherib, Hierosolyma, Nero, Diocletianus, Iulianus &c. Manet igitur salua Ecclesiæ hostibus dissipatis.

## **Venient Principes ex Aegypto, Aethiopia extendet manus suas ad Deum.**

Prophetia de uocatione gentium, quarum accessione Ecclesiam in immensum auctam iri prædicit. Comprehendit autem sub specie totum genus gentium & cætera regna terræ, quæ ad Christum conuertentur, ut mox sequens uersus ostendit. Similis Prophetia est Esaie ii. ubi ait: Ipsum gentes deprecabuntur, seu quærent. Et cap. 60. Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Nominat autem hic præcipue cultum Dei, fidem nempe & inuocationem, cum inquit: Aethiopia extendet manus suas ad Deum.



## EXHORTATIO

ad gratiarum actionem  
pro regno  
Christi.

Regna terræ, cantate Deo, psallite  
Domino, Sela.

Insidenti cœlis cœlorum ab initio,  
Ecce dabit uoci suę uocem roboris.

*Hæc est conclusio Psalmi, in qua totam Eccle-  
siam orbis terrarum hortatur ad gratiarum actionem  
pro æterno regno Christi uictoris, quem ait insidere  
cœlis cœlorum ab initio, hoc est, ab initio quo genus  
humanum conditum, & uox Euangelij de semine mu-  
lieris primum edita est, colligere sibi æternam Eccle-  
siam, cui tanquam cœlis cœlorum insidet. Hæc n. est  
thronus & sedes Dei, in qua exercet iudicium Deus,  
per uocem legis arguens & damnans peccata, & per  
Euangelium annuncians propter Mediatorem gra-  
tuitam peccatorum remissionem, donationem Spiri-  
tus sancti & uitæ æternæ.*

*Hi sunt cœli cœlorum, domus & habitatio  
Dei, sic Psalmo 115. Cœli cœlorum domini sunt, ter-  
ram autem dedit filijs hominum, id est, Deus ipse est  
doctor,*



doctor, rector & custos Ecclesie sue. Quamquam autem ipse & politias & imperia terrae constituat & seruet, tamen earum regimen & administrationem committit regibus & principibus terrae, ut exerceant, secundum certas leges, cum lege naturae conuenientes, iudicia, ut sint honori bonis & timori malis, ut sint distincta rerum dominia, contractuum & successionum certa iura, quae omnia ad Ecclesiasticum regimen, quod solo uerbo Dei regitur, nihil pertinent &c.

Interferit autem exhortationi subinde consolationes. Quia enim Ecclesia non habet aliquam externam potentiam, & est exposita diaboli & tyrannorum furoribus, uidentur Doctores, qui sunt in ministerio uerbi, frustra in tantis persecutionibus Ecclesiae docturi uerbum Dei, & paucos fore qui ipsorum uoci credant & obediant, ideo Doctores & totam Ecclesiam consolatur, cum inquit: Ecce dabit uoci suae uocem roboris, id est, erunt qui credent Euangelio, & illud erit potentia Dei ad salutem omni credenti, & seruabitur ministerium Euangelij inuitis diabolis & omnibus tyrannis.

**Date gloriam Deo**, id est, finite uos uerbo argui, agite poenitentiam, humiliamini sub potenti manu Dei, agnoscentes peccata uestra, date locum Spiritui sancto arguenti uos & mundum de peccato per uocem Euangelij.

H 5

Super



**Super Israël magnificentia eius, &  
robur eius in nubibus.**

Aspergitur iterum consolatio. Ecclesia habebit  
ducem & custodem filium Dei sedentem ad dextram  
patris, non erit sine consolatione. Spiritus sanctus erit  
efficax in ijs qui credent Euangelio. Magnificentia  
& splendor regni Christi est, quod gratis propter fi-  
lium agentes poenitentiam, & fiducia Mediatoris ad  
ipsius misericordiam confugientes recipit, & donans  
Spiritus sanctum, renatos multis uirtutibus uestit &  
ornat, iustitia imputata, timore, amore Dei, patientia,  
obedientia & alijs gemmis.

Robur & fortitudo in nubibus, est uox Legis,  
quæ suo fulmine & tonitru petras, corda peccatis in-  
durata conterit, ut conuertantur ad Deum. Deinde  
quoque est uox Euangelij, quæ ut nubes pluuiam de-  
stillantes, terram, sic illa de coelis & nubibus, Apo-  
stolorum nempe ore, delapsa, ea, sensu iræ Dei pauida,  
& arefacta, recreat, ut Deut. 32. habes, Stillet ut plu-  
uia doctrina mea. Et Esa. 55. Quomodo imber de-  
scendit & c. sic erit uerbum meum. Et Esa. 60. Apo-  
stoli comparantur nubibus cum inquit: Qui sunt isti  
qui ut nubes uolant. Huc pertinet Psalm. 29. Afferte  
domino filij Dei & c.

Mira-



Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse  
est Deus Israël, dabit uirtutem & for-  
titudinem plebi, Benedictus Deus.

Epiphonema est quo finit & concludit Psal-  
mum, repetita superiori consolatione & promissione  
de defensione Ecclesie: q. d. Deus mirabiliter supra  
& extra omnem captum humanæ rationis gubernat,  
conseruat & defendit ministerium uerbi, Sanctos &  
totam Ecclesiam, reprimit diabolos, tyrannos & hæ-  
reticos spargentes falsa dogmata, restaurat & repur-  
gat subinde doctrinam & ueros cultus. Dabit igitur  
uirtutem & fortitudinem, id est, donabit Ecclesie &  
singulis pijs Spiritum sanctum, quo paraclete con-  
firmati, uincant diabolum & mundi potentiam, Et  
Deus ipse erit custos Ecclesie suæ, sicuti filius

Dei ipse inquit: Non relinquam uos or-  
phanos, Ero uobiscum usque ad  
consumationem seculi,

Benedictus igitur

Deus.


A M E N,

Amen.
















37<sup>9</sup>  
h, 10.

AB 37<sup>9</sup>  
h, 10


(x 220 0060)

Sb.









**ENARRA-**  
**TIO PSALMI SEXAGE-**  
SIMI OCTAVI, EXVRGAT  
Deus & dissipentur ini-  
mici eius &c.

INTERPRETE  
D. GEORGIO  
MAIORE.



LIPSIÆ  
EXCVDEBAT GEORGIUS  
HANTZSCH.

ANNO  
M. D. LI.

